PETRI LILIA

S. THEOLOGIÆ DOCTORIS,

DE DEO TRINO ET VNO

Oratio,

Habita ante publicam disputationem in celebri Academia Cracouien: 5. Septemb. Anni 1581.

Cui ex diuinis literis adiuncta sunt testimonia: quibus Iesu Christi, & Spiritus sancti diuinitas, clarissimè demonstratur.

[redacted]

CRACOVIÆ.

In Officina Lazari: Anno Domini,

M. D. LXXXII.

⋆

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO DOMINO ALBERTO BOLOGNETO, EPISCOPO MASſanenſi à Sanctiſſimo D.N. Gregorio xiii. ad Sereniſſimum Stephanum Polonię Regem Nuncio Apoſtolico,

PETRVS LILIA, SACRÆ Theologiæ Doctor S.

DIVVS ILLE AVguſtinus, cùm auguſtiſſimum altiſſimumq́ue Sanctiſſimę TRInitatis myſterium diligentiùs expenderet, ALBERTE Præſul ampliſſime, ita ſcriptum reliquit: Vbicunq. quæritur de vnitate TRINITATIS, magna eſt adhibenda cautela: quia nec periculoſiùs alicubi erratur, neq. laborioſiùs aliquid quæritur, nec fructuoſiùs aliquid inuenitur. Magnificam verò vocem & tanto Doctore digniſſimam: qua ille non minus eorum negli-

gentiam, qui propter ingentem rei difficultatem, de Sanctissima TRINITATE doctrinam, nullius ingenio tractandam esse putant; quàm eorum reprehendit temeritatem, qui neque insigni aliqua diuina, aut humana sapientia freti, neque vlla vitę innocentia & sanctitate illustres; in re tamen tam difficili, tam ab humano ingenio recōdita, præ doctissimis & sanctissimis viris, intelligentiam sibi vendicare, & suum sensum eorum iudicio anteferre non verentur. Perperam isti; sed nec illi benè. Neque enim commoda propter difficultatem à Rei pub. salute vitatione repellenda sunt; sed studio & sapientia adiungenda. Quòdsi aliquando, in hoc de Sanctissima TRINITATE dogmate difficili & laborioso, vtile fuit & fructuosum aliquid inuenire, siue ad illud confirmandum, siue ad explicandum clarius; hoc profecto nostro infelici tempore, & in hoc Poloniæ Regno vtilissimum est saluberrimumque: in quo hæresis & impietas, tantas sibi ad CHRIsti Religionem turbandam collegit vires; vt cuiuis impunè lice-

nè liceat, Eccleſię Dei authoritatem ſpernere, iura diuina violare, res ſacroſanctas conculcare, Chriſti Euangelium ſurſum ac deorſum vertere, miſcere omnia, ac in quauis noſtrę fidei doctrina barbaro & hoſtili animo maxima incendia excitare. Ac mea quidem ſententia, Reip. bona priuatis commodis, Religio autē Chriſtiana Reip. emolumētis, Chriſtus autem Deus Religioni eſt anteponendus: propterea quòd, vt in Religione, Reip. ſalus & ornamentũ, ciuium libertas, nobilitatis ſplendor, ſenatus authoritas, Regis maieſtas, potentia victorię, & triumphi, & quod omnium eſt caput DEi gratia & immortalis vitę felicitas; ſic in Chriſti honore Religio ſit fundata, atque ita cum eo implicita, ruere vt ille non poſſit, quin omnis Religio, & ea quę Religione continentur, eodem labefactata motu concidant. Itaque ea hæreſis, quæ Chriſto diuinos honores detrahit, omnium eſt perniciosiſſima. Cæterę enim religionem Chriſti; hæc ipſius Religionis petit caput: ac quantum in ſe eſt, ex huius Regni ſedibus

IEſum Chriſtum ac Spiritum ſanctum, qui præter innumera in nos collata beneficia, hoc ipſum Regnum, in magnum honoris & dignitatis euexit gradum, eijcit & exterminat. Neque enim Fides & Religio Christiana alium nouit IEſum Chriſtum, niſi eum, qui eſt verè Filius Dei, & verus DEus: neque alium Spiritum Sanctum, niſi eum, qui à Patre, Filioque procedens, verus eſt DEus, vtrique (vt cum D. Athanaſio loquar) coæternus, coæqualis, & conſubſtantialis. Quamobrem, cùm ad alias omnes confutandas hæreſes, quibus libertas noſtrorum hominũ tantùm laxauit habenas; tùm ad hanc de Sanctiſſima Trinitate, euertendam, obruendamque maxima præſidia ſunt comparanda. Quę quidem in eo potiſſimùm conſiſtunt, vt clariſſimè oſtendatur: DEI eſſentiam in triplici hypoſtaſi conſiſtere: hancque Eccleſię catholicę doctrinam, Euangelio & veritati congruentem eſſe. Quę res, vt eſt Reipub. ſalutaris; ſic omnium difficillima. Multis enim opus habet ille, qui in rem tam difficilem lucem

inferre

inferre velit. Non illum latere debet, quid ea de re in Sacris tradatur voluminibus: quid vetus, quid nouum Teſtamentum, quid Prophetę, quid Apoſtoli, quid Euangeliſtę, de IEſu Chriſto ac Spiritu Sancto doceant, eſt ei intelligendũ. Deinde quem ſenſum ſapientiſſimi & ſanctiſſimi Patres, ex tam abditis ſacrarum literarum teſtimonijs proferant, quid Oecumenica Concilia, quid Auguſtinus, quid Hilarius, quid Gregorius Nazianzenus, quid Baſilius, quid cæteri tàm Græci, quàm Latini Patres ſentiant, & quo pacto tam difficilem controuerſiam componant, neque ſolùm eorum ſententias; verumetiam doctiſſimas rationes, perſpectas, animoq́ue compræhenſas tenere debet. Et quoniam hæc peſtilens hæreſis hoc idem de Sanctiſſima TRinitate dogma cum ratione pugnare contendit; ideò non ſolùm eorum cognitione, quę in Philoſophia ſunt obuia; ſed illorum etiam in quibus probè intelligendis ſummi laudatiq́ue Philoſophi plurimùm deſudarunt, fretum ac munitum eſſe oportet. Ad extre-

nium minimè ignorare debet, quid illi ipsi aduersarij vrgeant, & in quo hæreant potissimùm, Arius, Cerinthus, Ebion, Photinus, Samosatenus, & cęterę eius generis pestes: ne earum sententię & rationis ignarus, cum vmbris dimicare videatur. Tam accuratè fundatam, & exstructam disciplinam, quàm difficilè sit perdiscere, nemo est qui non intelligat. Huc accedit, quòd cùm D. Augustinus vnà cum alijs Ecclesię Doctoribus, maximè verò ijs, quos Scholasticos appellant, qui inter alios Christi doctrinam doctè & exquisitè explicant, et, quod dicitur, ad viuum resecant omnia, in alijs Christianę fidei mysterijs explicandis sint difficiles; tùm in hoc sunt difficillimi: vt quantum temporis, reliquorum omnium, quę in sacra Theologia tractantur, explicatio; tantum huius vnius dogmatis intelligentia sibi vendicare videatur. Atque hę quidem, inter alias, rationes fuerunt, cur ego anno proximè elapso ex Italia reuersus, ac à nonnullis clarissimis viris, quorum voluntati, propter singularem eorum erga me beneuolen-

uolentiam non potui nō obtemperare, rogatus, vt de rebus Theologicis in Academia Cracouien: publicè disputarem, solùm hoc de Sanctissima TRinitate dogma mihi defendendum esse putaui. Cuius quidem disputationis fructus, vt ad eos quoque, qui nostrę disputationi non intererant, aliquis perueniret, operæprecium me facturum existimaui, si orationem meam ante disputationem habitam, & post disputationem auctam in lucem ederem. Eam verò, vt nomini tuo, ALBERTE Præsul Ampliss. dicarem, multa me impulerunt. Primùm quòd Nuntij Apostolici in hoc Polonię Regno munus obeas, ac GREGORII xiii Pont. Max. sis Legatus: qui in tanta tempestate, tantisque hæreseon fluctibus, Petri nauem ita feliciter gubernat; vt ab omnibus Christianis maximę illi debeantur gratię; à me verò etiam hoc nomine, quòd me Roma discedentem singulari clementia sit prosecutus. Deinde tua humanitas & non vulgaris beneuolentia, qua in tuo aduentu Cracouiam, me tibi complectendum

 ctendum

ctendum iudicaſti. Auget autem hanc beneuolentiam tuę virtutis & ſapientię præſtantia, in rebus agendis dexteritas, pietas, religio, & authoritas cum ſingulari & orationis & morum ſuauitate coniuncta. Quę omnia ita proborum animos erexerunt, vt bene ſperandum exiſtiment omnes, te tam inſigni Nuntio Apoſtolico, à tam vigilanti Pontifice, ad tam ſapientem & pium Regem, Regnum hoc Polonię nobiliſſimum, ab his hæreſeon monſtris, & alijs peſtibus, quę maiorum noſtrorum negligentia in illius prouincias irrepſerunt, expurgatum, priſtino ſple[illegible]dignitati reſtitutum iri. Vale Præſul optime: hocque munuſculum grato & hilari vultu accipe. Cracouię 16. Auguſti. Anno Domini, 1582.

ASSERTIONES DE SANCTISSIMA TRINITATE:

Ad morem Academię Cracouiensis propositę.

CORPVS QVÆSTIONIS.

Vtrum in vna essentia diuina, sint tres personę: quę distinguantur & constituantur in esse personali, principaliter & formaliter per relationes originis: & deniq. ita se ad inuicem habeant, vt Filius à Patre per modum naturę sit genitus, Spiritus Sanctus autem non per modum naturę, sed per modum voluntatis à Patre & Filio procedat.

CONCLVSIO PRIMA.

Deum esse vnum in essentia, & trinum in personis, non solùm est sententia fidei, sed neq. est contra rationem.

COR.

I. Hac conclusione non ponimus contradictoria esse simul vera.

II. Nec pugnamus contra illam propositionem: Quæcunq. vni & eidem sunt eadem, inter se sunt eadem.

III. Nec euertimus Syllogismum Expositorium.

CONCLVSIO SECVNDA.

Personę diuinę non distinguuntur ab inuicem, nec constituuntur in esse personali, per aliquid absolutum, nec formaliter & principaliter per origines, hoc est, per productiones aut processiones, sed per relationes originis.

I. Tametsi

I. Tametsi relatio ex natura relationis habeat constituere, & distinguere in esse relatiuo diuinas hypostases, non tamen ex natura relationis habet, distinguere aut constituere illas, in esse hypostatico & subsistenti.

COR. II. A relationibus diuinis commune aliquod abstractum, non aufert vim relationibus, constituendi in esse suppositi diuinas personas.

III. Constitutio diuinarum personarum, est intelligenda ad modum effectus formalis, non autem ad eum modum, quo ex partibus constituitur totum.

CONCLVSIO TERTIA.

Pater filium genuit per modum naturę, Spiritus Sanctus autem, licet naturaliter procedat à Patre & Filio, non tamen procedit ab illis per modum naturę, sed per modum voluntatis.

I. Filius & Spiritus Sanctus, quia sunt patri consubstantiales, ideò sunt vnus Deus.

COR. II. Nō ratione istę tres personę distinguuntur, sed realiter.

III. Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab eo personaliter.

Disputatæ frequenti illustrium & clarissimorum virorum consessu, in Collegio Maiori, 5. Septemb. hora 12.

PETRI LILIA SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS, DE DEO TRINO & Vno, Oratio.

EST HOC IN MOre & aliarum, & huius celeberrimæ Academiæ positum; vt omnes, qui sibi in certamen sapientiæ descendendum esse proposuerunt, ornata & grauibus sententijs instructa oratione, ingressum & viam disputationi muniant, ac sternant. A qua consuetudine diuturno vsu recepta & confirmata, cùm mihi nequaquam discedendum esse putarem, cogitaremq́; diligentiùs, quid in hoc grauissimo & sapientissimo consessu mihi esset dicendum, nihil occurrit neq; hac corona dignius, nec meæ tenuitati accomodatius, quàm si pauca quædam de diuinitate et mysterio sanctissimæ Trinitatis in medium afferrem. Dignum enim est, vt in ea Academia quæ sapientiæ & Christianæ & orthodoxæ religionis laudibus floret, de ea re diceretur, qua in hac rerum vniuersitate nihil est & propter rerum obscuritatem difficilius, & propter

excel-

excellentiam & maiestatem augustius. Mihi verò hæc eadem res propterea est accommodatissima: quòd sua præstantia & dignitate meæ orationis tenuitatem, huic sapientissimæ coronæ minimè congruentem, satis abundè compensabit. Hoc enim sacrum altissimumq; mysterium est eiusmodi, vt etiam simplex illius recordatio summa cũ iucunditate aliquam sui cognitionem in piorum mentibus relinquat, suiq; speciem signet admirabilem. Dixi in piorum mentibus. Nam qui temerè, vt Iudæi, hæretici, & eæ gentes, quæ prauis de diuinitate superstitionibus constrictæ tenentur, hoc longè augustissimum & altissimum mysterium contrectare audent; vt illorum videndi sensus, qui lippos oculos in splendidissimum solem intendunt; sic istorum animi obtunduntur & excœcantur.

Atq; ne, in tam vasto immensóq; pelago, temerè mea vagetur oratio, ex multis, quæ de hoc difficillimo Sanctissimæ Trinitatis mysterio dici possunt, tres rationes explicabo, quæ in vna diuina natura tres esse hypostases, si non clarè, at certè non obscurè ostendent: vt vel ex eo intelligamus, hoc singulare de diuinitate dogma, ita esse magnis difficultatibus tectum & inuolutũ; vt tamen rationi nullo pacto repugnet.

Sed antequam ipsarum rationum explicationem ingrediar, imprimis eos qui Theologi munus, ad solas veteris

las veteris & noui testamenti sententias, & Patrum authoritatem redegerunt, ignari quod maius quiddam Theologus in se suscipiat, velim esse admonitos: me in his meis constituendis rationibus, ex sacris literis, aut antiquorum Patrum voluminibus, ne verbum quidem allaturum. Non quòd mihi ea in re, Prophetarum oracula, Christi documenta, Apostolorum doctrina, Euangelistarum testimonium, & S. Patrum deesset institutio; sed quia in hac mea oratione solùm mihi propositum est, eos Philosophos & hæreticos erroris coarguere, et ignorantiæ conuincere, qui in terram depressi, nihil rationem humanam excedens, nihil singulare, nihil magnificum, nihil admirabile de diuinitate cogitare volunt, aut possunt. Ne igitur ineptus illis esse videar, ex illis fontibus firmamenta orationis meæ desumam, in quos isti tam sapientes Sophi totius sapientiæ et veritatis præsidia contulerunt. In ipsa verò disputatione, cui multò maior temporis conceditur vsura, & ad inquirendam veritatem amplissimus aperitur campus, vbi mihi sese offeret occasio, dicendiq; dabitur facultas, non certè tacebo, non ea silentio præteribo, quæ Apostoli, quæ Euangelistæ & Ecclesiæ Doctores, de Iesu Christo Filio Dei, de diuina illius generatione, ac de spiritus sancti diuinitate literis monumentisq; ad perpetuam posteritatis memoriam consignarunt.

Non mihi profectò hîc deero: non me vel Patrum, vel Sacræ scripturæ authoritate in prauum sensum detorta, de mea statione, ne transuersum quidem vnguem depelli sinam. Aliquot istis fugitiuis & sceleratis, (Arium, Cerinthum, et cæteros eius farinæ Christi hostes intelligo) quorum hæreses ab omnibus alijs nationibus explosas, & proscriptas nostri homines ab inferis reuocarunt, & in hanc etiam ciuitatem regiam et nobilem induxerunt: aliquot, inquam, istis omnium scelerum colluuione coopertis, opponam Hilarium, Augustinum, Gregorium, Hieronymum, Anselmum, Nazianzenum, Chrisostomum, Basilium: & si in tanto numero sapientissimorum hominum vocem Dei agnoscendam esse existimamus, vt certè existimare debemus, adiungam his sanctissimis viris, centum alios, imò trecentos æquè sanctitate atq; eruditione celeberrimos Patres: qui in primis illis & Oecumenicis Concilijs, Niceno & Constantinopolitano, Filium & Spiritum sanctum Patri ὁμόουσιον *esse decreuerunt.*

Verùm isti hos tantos viros homines esse dicunt. Scilicet ipsi sunt angeli, & non ex terra orti, sed è cœlo delapsi; vt meritò illis maior fides, quàm hominibus haberi debeat. Sed per Deum immortalem, illísne aliquod numen diuinum inesse arbitrabimur: in quorum genio, pro ratione temeritatem, pro sapientia igno-

tia, ignorantiam, pro modestia Christiana, petulantiam & rabiem regnare videmus? Ergo tot S. Patrum authoritatem abijciemus; ut istorum sequamur voluntatem? Istos illarum furiarum inferni Arij, Ebionis, Cerinthi, Eunomij, Samosateni laruis tectos, illorumq; impietatem oculis, fronte, incessu & habitu corporis præseferentes, intuebimur, in oculis & manibus feremus? Hos verò sanctissimos Patres, & Dei Ecclesiæ lumina, qui Christi, Apostolorum & Martyrum innocentiam, & res præclarè & fortiter gestas, in sua vita & moribus expresserunt, repudiabimus? qui non in alea, non in compotationibus, non in latrocinio, ut pleriq; istorum; sed in magnarum virtutum exercitatione, & in altissimarum contemplatione rerum, suum omne studium et ætatem consumpserunt. Hæ illis fuerunt exercitationes ingenij, hæc curricula mentis. Qui deniq; propter summam eruditionem, vitæ innocentiam, integritatem morum, fidem, constantiam, & effusum pro Christi nomine sanguinem, non hominibus solùm, sed & Angelis & Deo ipsi (ut cum Paulo loquar) spectaculum extiterunt.

Verùm isti non sibi credendum esse dicent; sed Prophetis & Euangelio. Quasi verò hi sanctissimi Patres, cùm nos de diuinitate filij docent, sua nobis obtrudant somnia: & non potiùs Christi & Pro-

phetarum proferant testimonia. Clament igitur quantumuis isti, Euangelium, Euangelium. Ego verò Ecclesiæ Dei, & horum sanctissimorum Patrum doctrina informatus, etiam ipsius Arij voces, fraudulenter Christi verbis, & Prophetarum fucatas, quibus Filium Dei & Spiritum Sanctum iniquissimè exuit diuinitate, Filium minorem Patre, Spiritum sanctum verò creaturam esse asseuerans, minimè formidabo. Si mihi illud occinet Arius: PATER MAIOR ME EST, *& id genus alia. Dicam ego cum D. Ioanne:* IN PRINCIPIO ERAT VERBVM, ET VERBVM ERAT APVD DEVM, ET DEVS ERAT VERBVM. *Et illud cum D. Paulo:* QVI CVM IN FORMA DEI ESSET, NON RAPINAM ARBITRATVS EST, SE ESSE ÆQVALEM DEO. *Si igitur æqualis DEO, non minor igitur. Quòd si, vt Christi verbis vtar & testimonio,* IN ORE DVORVM, VEL TRIVM, STAT OMNE VERBVM, *non tria; sed triginta octo ex S. literis proferam testimonia, quæ IEsum CHristum & Spiritum sanctum, verum Deum esse, & eiusdem cum Patre naturæ & substantiæ demonstrant clarissimè.*

Ac ego quidem cùm ad tot Sacræ scripturæ testimonia me cogitatione & mente conuerto, eáq; diligenter mecum reputo, intelligo facilè, eos hæreticos,

non horum testimoniorum, quæ in tantis tenebris, ad intelligendam IEsu Christi diuinitatem, clarissimum nobis præferunt lumen, ignoratione, in tam horrendum errorem raptos esse: sed quia eorum animi acies, quòd in immensam Dei claritatem temerè intenderent, à splendidissimo diuinitatis Sole retusa, penetrare non potuit: quomodo vna & eadem simplicissima res, Deus nimirum, trinus esse possit: qua ratione illud, quod re & ratione esset omnino idem, non rationis modo; sed etiam rei discrimen in se admittat: quo pacto nec generans generato esset prior, nec superior; nec generatus generante vlla dignitate esset inferior, nec aliquo temporis momento posterior. Hæc illorum ingenia torserunt: hæc illos nimiùm suis rationibus confidentes, à veritate ad mendacium, à luce ad tenebras, à vita ad interitum abduxerunt, & in tantum errorem et ignorantiæ chaos præcipitarunt. Nobis verò, qui à CHristi & eius Ecclesiæ ore, ac tot sanctissimorum Patrum doctrina, & sapientia pendemus, discussa est hæc caligo: diluxit, patet, videmus omnia. Quamobrem in defendendo Sanctissimæ Trinitatis mysterio, non nos Platonis sapientia, nec ipsius Aristotelis terret acumen. Non illa Philosophorum tormenta formidamus: Quæcunq. vni & eidem sunt eadem, inter se sunt eadem. *Nec illud extimescimus:* In vnam & eandem rem affirmatio & negatio simul con-

mul conuenire non potest. *Quæ omnia, vt verissima esse; ita illorum vi & intelligentia, & vnitatem diuinæ naturæ, et distinctionem hypostaseon, non solùm non obrui; verùm etiam illustrari sapientissimorum Ecclesiæ Dei Doctorum, maximis artibus & disciplinis instituti intelleximus.*

Sed hæc, ne essem longior, quàm par est, disputationi reseruabo. Nunc autem quod initio orationis proposui, tres rationes explicabo, quæ in vna diuina natura tres esse hypostases, non obscurè indicabunt. Harum prima ex generationis, secunda ex intellectionis vi & natura, tertia verò ex eo ducetur, quòd Deus sit res, in rerum natura cohærens.

Tu Deus Opt. Max. qui linguas infantium facis disertas, illo immenso sanctissimoq; sapientiæ tuæ lumine mentem meam illustrare, eamq; scientiæ tuæ opibus locupletare velis: vt quæ de admirabili illa trina hypostasi in vnitate naturæ, dicere decreui, ita dilucidè perspicuèq; explicare queam; vt & rei dignitas & audientium doctissimæ aures exposcunt.

Principio duæ illæ sententiæ, cùm in omni Philosophorum, tùm in Aristotelis schola firmæ & stabiles, quibus prima mea ratio, tanquam duobus fundamentis, innititur, hoc loco sunt mihi memoria repetendæ. Harum altera est. Primum agens, hoc est, effector mundi huius, & molitor Deus omnium re-

rum perfectiones & naturas in se compræhendit. Altera est. Hæ eædem omnes perfectiones & naturæ, non eadem, nec simili ratione, qua singulæ sunt in singulis creatis rebus; sed eminentiori, & excellentiori quodam modo, in primo principio continentur. Vtramq; hanc sententiam, vt in re tam difficili & obscura, quàm facillimus esse possim, simpliciter et breuiter ita comprobabo. Natura cuiusq; rei efficiendæ in efficiente causa, vel secundum eandem prorsus rationem, si sit causa singularis & infima, vel eminentiori excellentioriq; modo, si efficiens causa fuerit vniuersalis & superior, etiam antequam producatur existere debet: & hoc duas præcipuè ob causas. Primò, quia nullum agens, vltra vires proprias, actiones exercere potest. Quo fit, vt nullius actionis vim & formam, nullam potentiam & facultatem, nullam proprietatem & accidens nullum, quod non in visceribus naturæ illius delitescat agendo aliјs largiatur. Quid enim? an ignis, si caloris flammis ardentibus non esset instructus, calefacere; aut aqua, si nullo prorsus liquore diffflueret, madefacere posset? Deinde quia omne agens agendo nihil aliud facit, quàm suam naturam & proprietatem alteri communicat. Neq; enim aut ignis frigiditate, quam non habet, aut àër siccitate, qua non est præditus, res afficere potest; sed ignis calefaciendo calorem, quo æstuat, & àër

hume-

humectando humiditatem, qua à natura est informatus, rebus impartitur: atq; ita vterq; ex nō igne ignem, & ex non aere aerem efficiunt. Si igitur aliquid alicuius rei est effectus, in illa profecto etiam antequam produceretur existere debuit. Nisi forte aliquis existimet aqua incendia excitari, aut igne exiguos fluuios inundari poße. Hoc idem animantium procreatio planum faciet omnibus. Homo enim non leonem; sed hominem: è contrà leo non hominem; sed leonem generat. Quid ita? Quia vt homo non leonis, sed hominis; sic leo non hominis, sed leonis natura constat. Atq; hæc quidem, homo nimirum & leo, & eius generis reliqua omnia, quia sunt causæ singulares & infimæ, ideò effectus sibi producunt simillimos; ita, vt eadem prorsus ratione et modo, tam in generante, quàm in generato, eadem natura visq; contineatur. Contrà verò in Solis huius natura, qui est dux & princeps et moderator luminum reliquorum, mens mundi & temperatio, qui cuncta sua luce lustrat & complet, & eorum omnium, quæ infra lunam sunt, est causa vniuersalis & quasi parens, summus omnium rerum architectus & Princeps Deus, sui similitudinem, vim, & præstantiam, longè excellentiori modo insculpsit; quàm est in his rebus omnibus, quæ eiusdem Solis opera & virtute efficiuntur. In his enim inferioribus rebus, vis et natura inest modo corruptioni

ruptioni

ruptioni & interitui obnoxio. At in Sole, ab omni interitu & corruptione remotissima sunt omnia. In his inferioribus, tot & tantæ virtutes, non omnes ab vna; sed singulæ à singulis naturis proueniunt. At ex vno Sole, omnes actiones, perfectiones, & virtutes, quæ per innumerabiles res sunt dispersæ et distributæ, tanquam ex vberrimo fonte emanant. Ibi distincta sunt & separata omnia; hîc verò indissolubili & arctissimo vinculo vnitatis sunt copulata. Ex quo manifestum est, naturam & præstantiam effectus in causa existere: in vniuersali autem causa non solùm existere; sed etiam existere eminentiori præstantioriq; modo. Cùm igitur Deus Opt. Max. sit architectus, principium, fons & causa rerum omnium: ex eo, quòd est causa, necessariò rerum omnium, quas efficit, naturas & perfectiones in se continet: ex eo verò quòd est primum principium & causa vniuersalis, eadem omnia, ratione quadam eminentiori excellentioriq;, suæ immensitatis gremio & complexu coërcet. His igitur vtraq; sententia est comprobata.

Sed quoniam vtraq; illa sententia, tanquam quibusdam fundamentis, prima mea ratio constituitur; ideò aliam rationem explicabo, in qua vtraq; sententiæ veritas clarissimè elucebit. Plato ille Philosophus, cùm se animo & cogitatione in Deum diligentiùs

gentiùs conuerteret, totaq; acie ingenij eius virtutem contemplans animaduerteret; eum eiusmodi rerum omnium opificem esse: qui non solùm hæc omnia, quibus hæc vniuersa mundi fabrica, eiusq; pulchritudo constat, effecerit; sed etiam effecerit intelligentia & ratione; eamobrem earum rerum omnium, quæ ab illo sunt fabrefacta, ideas & formas in diuina eius mente collocauit. Neq; verò ea in parte has ideas & formas Platonis, demolitus est Aristoteles. Sic enim cum sapientia & ratione mirè consentiunt. Omnis siquidem artifex & effector, qui ad rationis & intelligentiæ præscripta opera sua molitur, ante necesse est, rei faciendæ formam & ideam animo concipiat; quàm ei extruendæ efficiendæq; manus admoueat. Ante Phidias, Alexandrum Bucephalum domantem, cogitatione formauerat; quàm in saxum durissimum eam effigiem insculpsisset. Sed num aliquis est, aut tam excellens architectus, aut tam vilis artifex, qui ea quorum imaginem in animum nunquam induxit, non dico manu artificiosè effecerit; sed etiam verbo protulerit? Cùm igitur Deus Opt. Max. summa ratione & sapientia, hæc omnia ex nihilo, in hunc lucentem & amplissimum mundi globum induxerit; consequens profectò est, eum ante omnium, quas condidit rerum effigies, & formas animo conceptas habuisse: neq; eas ante à diuina

mente

mente separare poterimus; quàm vel DEum hæc omnia sine ratione & sapientia, vel nolentem fecisse nobis persuadeamus. Vbi enim nulla est cognitio rei; ibi res fiunt sine consilio & ratione. In rem autem incognitam, quæ potest esse voluntatis inclinatio? Si igitur Deus Opt. Max. rerum quas condidit, nullas habuisset in animo formas & notiones; nec sapientia & ratione, nec voluntate & arbitratu suo hæc omnia effecisset. Sed quonam obsecro modo is, qui est ipsa sapientia, sine sapientia cogitari potest? aut quidnam tale est, quod ei, qui omnia nutu regit & moderatur, voluntatem eripere, aut aliquid, quod ipse nollet, imponere posset? Meritò itaq; hac in parte de ideis Aristoteli cum Platone conuenit: cùm vterq; Deo non solùm rerum efficientiam, sed etiam intelligentiam tribuat: proculq́; non à Dei solùm, sed etiam intelligentiarum natura, materiam, ex qua sola intelligendi impedimenta existunt, arceant.

Sed modus, quo ideas in mentem diuinam inuexit Plato, displicet Aristoteli. Plato enim teste Aristotele, has omnium rerum formas, immateriales quidem esse; sed separatas & distinctas per se ipsas subsistere volebat. Quæ sententia, multas ob causas vehementer rationi repugnat. Primò enim, si res in seipsæ spectentur, ideæ cùm sint formæ rerum materialium, quomodo sine materia cohærebunt? Erit

igitur bos, leo, ceruus & id genus alia sine sanguine, sine ossibus, sine neruis; & quæ natura sua ratione carebant, sic ab omnibus vinculis materiæ expedita, intelligendi vi præstabunt: cùm omnis res immaterialis natura sua intelligendi facultatem habeat. Deinde sic collocatæ ideæ rerum & formæ, essent extra Dei essentiam: atq; ita ad illius intelligentiam conferrent nihil. Si enim sine his Deus multitudinem rerum intelligere non posset; sequeretur, quòd sua natura in intelligendo ab alio dependeret: ex quo deinde sequeretur, eum non intelligendo solùm; sed etiam in existendo ab alio dependere: præsertim cùm intelligere Dei, sit idem, quod eius existere.

Ad extremum, si hæ ideæ, propter intelligentiam Dei à Platone sunt inuentæ, adeò malo loco sunt ab eo collocatæ; vt propter earum otium, ab ipsa rerum natura, ex hac rerũ vniuersitate proscribantur. Cùm enim omnis res, quæ ad Dei essentiam & naturam non pertinet, à Deo efficiatur; consequens profectò est, has ideas à Deo factas esse. Cùm autem Deus non ante aliquid efficiat, quàm rei faciendæ ideam & formam animo conceptam habeat; consequens profectò est, Deum ante formas & imagines rerum omnium habuisse, quàm hæ ideæ Platonis ab eo fuissent productæ. Ex quo patet, has ideas Deo, ad res intelligendas, non maiore cùm non essent, quàm

cùm eſſent adiumento fuiſſe.

Alio itaq; modo rerum omnium formas & perfectiones, in diuina mente conſtituemus: qui & rationi & diuinæ naturæ eſt accommodatiſſimus. Cùm itaq; Deus, ſi illius ſpectes eſſentiam, nihil ſit admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex; ſed purus, ſolitarius, non cum alia re coniunctus & connexus, perfectiſſimus, ſimpliciſſimus, longéq; ab eo, quod cum vnitate & ſimplicitate pugnat, remotiſſimus; ideò omnes formæ & perfectiones, quas per tam innumeras & prope infinitas res creatas, diſperſas ac diſtractas, & alias aliò diſſipatas, & quaſi in certas eaſq; diſiunctiſſimas, maximeq; diuerſas regiones diſtributas videmus, in vna eius ſimpliciſſima natura, ita arcto vnitatis fœdere deuinctæ & conſtrictæ tenentur; vt omnes ſint vnum & idem omnino, ab omni diſtinctione & compoſitione penitus vacuæ & liberæ: quemadmodum & ipſa Dei natura ſimpliciſſima & vna eſt omnino, vacua, expers, ſoluta ac libera ab omni diſtinctione, compoſitione, & multiplicitate, & ab eo, quod ſuſtineri ſine commiſtione & imperfectione non poteſt, pura & nuda. Imò verò omnes hæ formæ & ideæ ſunt ipſamet Dei eſſentia: quandoquidem in Deum nullum accidens cadat; ſed quicquid in eo eſt, ad eius eſſentiam & naturam pertineat. Ergo

at. Ergo quia Deus omnia efficit, ideò necessario rerum omnium formas in se habet. Quia verò quicquid in Deo est, Dei essentia est, ideò hæ omnes formæ & perfectiones in Deo sunt vna res simplicissima: hoc est ipsamet Dei essentia, in qua nihil est concreti, nihil solidi, nihil expressi, nihil eminentis. Hæc tamen coniunctio omnium perfectionum & naturarum eam vim habet: vt quemadmodum res singulæ distinctas sui species & similitudines potentiæ cognoscenti offerunt; sic essentia Dei, vna & simplicissima existens, distinctas tamen rerum omnium formas & imagines, in se ipsa intellectui diuino repræsentat: ad eum modum, quo superiorem numerum, in se ipso, speciem numeri inferioris referre videmus: & in vna anima, mente, & ratione prædita, & vegetantis & sentientis animæ speciem cernimus. Præterea illud etiam simplicissima Dei natura habet, quo omnibus creatis rebus longè multumq; ad omnem dignitatem & præstantiam antecellit. Nam vnaquæq; res creata ita operatur; vt ab omni eo, quod alijs proprium est, sese contineat. At simplicissima Dei natura, actiones, quibus tam diuersæ res sunt instructæ, vna exercet omnes, tam res multiplices, tanta varietate & proprietatum & naturarum inter se discrepantes, tanto locorum interuallo à se distantes, vna efficit omnes, vna exornat & illustrat omnes,

vna sustentat & conseruat omnes. Cuius tam admirabilis operationis in Sole aliquam imaginem habemus. Hic enim cùm sit simplex, & ab omni compositione solutus; tamen solo lumine & motu, tam variarum herbarum, fruticum, arborum, & lapidum, tam diuersorum animantium, quadrupedum, piscium, auium & serpentium procreationem perficit vnus: ad quam tamen perficiendam à causis singularibus, & infimis natura diuersas proprietates & formas, tam inanimis, quàm animatis rebus inseuit & donauit. Adhæc plurimæ causæ singulares & infimæ, cùm in suo opere elaborant, agendo scindunt àërem & diuidunt. At Sol, cùm sese lumine & motu ad hæc inferiora conformanda & illustranda demittit, non est necesse, vt ab eo crassus hic & concretus àër, qui est terræ proximus, perrumpatur & diuidatur. Verùm si Solis tam admirabilis virtus in rerum procreatione elucet, quæ tamen & corporea est, & certis terminis definita; quantò maiorem admirationem in animis eorum, qui sese ad eam spectandam conuertent, diuina operatio excitabit? Omne enim corporeum & concretum aliqua ratione, qualis est etiam hic Sol lucidus, substernitur naturæ simplici & incorporeæ, & est infinitis prope gradibus inferius eius dignitate & præstantia. Atqui Dei Opt. Max. operatio, quæ idem & vnum est, cùm eius natura &

essentia

essentia est incorporea, est simplex, infinita, immensa & nullo prorsus fine circumscripta & definita, non ab aliqua causa, non à tempore, non à motu dependens, liberrima summè intelligens, velocissima, efficacissima, supra quàm dici aut cogitari ab humano ingenio possit. Atq; hoc est in diuina natura rerum omnium naturas et perfectiones eminenter contineri.

His ita constitutis, non difficilè in aliquam Sanctissimæ Trinitatis, & trium in vna natura diuina hypostasum seu personarum cognitionem veniemus. Cùm enim in Deo rerum omnium perfectiones & naturæ, tanquam in rerum omnium principio et fonte, reperiantur, & generatio sui similis non postrema sit rei naturalis perfectio; consequens profectò est, generationem rei, sui generantis similitudinem omni ex parte gerentis, in diuina natura esse debere. Deinde quia idem Deus Opt. Max. est vniuersalis causa & principium vniuersi; eamobrem præstantiùs & excellentiùs, quàm in his creatis rebus cernitur, generationem in se continebit. Et quia in omni generatione duo sunt, natura vna & plures hypostases; hinc est, quòd & natura & hypostasis in diuina generatione perfectissimè reperiantur. Verùm vt natura & hypostasis sunt res diuersæ, ita in diuersis consistunt perfectionibus. Hypostasis enim distinctione et separatione, natura verò gaudet coniunctione & vnitate,

vnitate, ad eamq; in rebus efficiendam summæ perfectionis & vnitatis, quam in summo rerum omnium opifice contemplatur, ac ex ea similitudinem in seipsam deducere, pro viribus contendit, stimulis quibusdam incitatur, & facibus cupiditatis incenditur, inflammaturq;. Hypostasis in generante & generato separata & distincta; natura verò in vtroq;, id est, tam in generante, quàm in generato, vna esse expetit: & vt quàm maximè sit vna, summo flagrat desiderio. Natura ad communicationem sui, ex seipsa propendet, ac vt in pluribus sit vna, in eo neruos industriæ viriumq; suarum contendit. At hypostasis ita sese ad communicantem, & ad communicatam naturam applicat & adiungit; vt in his diuersa omnino esse velit. Natura ad plura sese effundit. At hypostasis, cùm sit terminus naturæ, vt in natura separationem & distinctionem efficit; ita omnem communionem, è suis sedibus, eijcit & exterminat. Hypostasis plurium vna esse non potest; sed vniuscuiusq; vna & propria, si sui communicationem spectes, nulla ratione distracta & diuulsa; stat puncto insectili & indiuiduo, non minus quàm atomus Anaxagoræ & Democriti. Natura verò plurium esse vna potest & debet, adeò vt, cùm in aliquo generante, & generato re distincta reperitur, hoc illius arguat imperfectionem; quemadmodum illud

alicuius perfectionis indicium est, quòd tàm in generante, quàm in generato, rationis et definitionis, eiusdem essentiæ & naturæ, retineat vnitatem. Quapropter quoniam in generatione, plures sunt hypostases necessariò, & natura vna; alioqui non modò imperfecta esset generatio, verùmetiam nulla, si per eam nullius effectus, generanti similis, produceretur: & quoniam hypostasis perfectio, in eo sita est; vt vnius tantùm sit vna, & plurium plures, & distinctæ; naturæ autem in eo, vt sit communis plurium, & quantum fieri potest, plurium vna & indiuidua; consequens profectò est, vt in diuina essentia, quæ generationem perfectissimè in se continet, & plures personæ à se distinctæ & separatæ, & natura omnino vna, & indiuidua reperiatur.

Atq; vt clariùs perspici atq; intelligi possit, distinctionem in natura, ex ipsius imperfectione oriri; inspiciamus parumper distinctas naturas, in rebus distinctis, ac multum inter se dissidentibus. In planta vitam, in animante sentiendi facultatem, re & ratione distinctas esse intuemur. Atqui hæc eadem duo, nempe vita, & sentiendi facultas, in homine, qui planta & animante bruto longè est perfectior, sola ratione secernuntur; re autem penitus sunt eadem. Ergo, quia planta imperfectum quiddam est, si cum homine conferatur; ideò, sola vita & vegetandi

facultate

facultate contenta, sensu orbatur, ac proinde ab animalis vita & sensu, non definitionis solùm; sed etiam rei dissensione discrepat. At vero homo, quia, si hæc ex materia mixta, & concreta respicias, omnibus numeris est absolutus, summaq; perfectione cumulatus; eamobrem vita, sensus, & ratio, ita sunt in eo colligata, vt non à diuersis principijs, quemadmodum vita plantæ, & sensus animalis; sed ab vno eodemq; principio proficiscantur. Hoc idem in alijs formis, & naturis videre est; vt non immeritò Aristoteles Philosophorum princeps, formas rerum numeris comparauerit. Quemadmodum enim numeri inferiores, rerum & definitionum discrepantiam habent, vt binarius, ternarius, quaternarius, illiq; iidem, ita in superiore numero, nempe quinario, copulantur; vt omnes sint res vna & eadem; ita naturæ inferiores, quæ proprijs differentijs, longissimè sunt à se positæ, in specie superiori, in vnam penitus, & eandem coalescunt naturam. Sed ad nostram sententiam comprobandam, aliunde rationes petere, non est opus: cùm in ipsa generatione rerum, satis efficatia argumenta habeamus. Quò enim perfectius est agens, eò rem procreat sibi similiorem. Vnde accidit, vt illi effectus, quos à generante, dissimilitudo longo interuallo seiunxit, monstra à Philosophis, & illi filij, qui suorum parentum naturam so-

lùm, & non etiam res præclarè gestas, vita & moribus exprimunt, degeneres dicantur. Manifestum est igitur, naturam efficientis causæ, ad maximam vnitatem & coniunctionem, cum eius natura, quod generando efficit, aspirare: vt si efficientis causæ actionum imperfectio non prohiberet, in generante et generato, non solùm ratione, quod semper vsu euenire solet; sed etiam re ipsa, natura esset vna.

Quòd si alicui hæ rationes persuadere non possunt, imperfectionem obstare, quo minus in duobus suppositis, natura non ratione solùm, sed etiam re sit vna; habemus, etiam in ipsa natura, in vtranq; partem exempla, quæ rem ita se habere, non obscurè demonstrant. Natura enim & anima serpentis, & aliorum animantium eius generis, quia est materialis, diuisibilis, & corruptibilis, eamobrem secundùm partium extensionem, in toto quidem corpore serpentis est tota; sed in qualibet parte corporis, non est tota. Nam cùm sit ex materia concreta, & mixta; naturam materiæ, quæ res à se constitutas diuidit, & extendit, transilire non potest. Itaq; vt in toto corpore est tota; ita in diuersis partibus corporis, diuersæ eius partes resident. Contrà verò anima rationalis, in toto corpore est tota, & in qualibet parte corporis tota. Quod eò mirabilius est, quòd inter partes corporis humani, sunt aliquæ non solùm specie et

re diffe-

re differentes; verùmetiam, quæ alijs partibus corporis non continuantur: cuiusmodi sunt cerebrum, cor, & hepar. Ac partes quidem in continuo, eam continuationem seriemq́; habent; vt aliæ ex alijs nexæ, & omnes inter se aptæ, communibusq́; essentiæ suæ terminis colligatæ videantur: quod videre est in omnibus continui partibus, in manu, in pede, & alijs eiusmodi rebus, quantitate longa & lata extensis, nulloq́; discrimine resecatis. Verùm cerebro, cordi & hepati, tale continuationis vinculum, natura non iniecit. Hæc enim in corpore humano distincta sunt, & separata, nulloq́; copulata communi termino. Quæ tametsi ita se habeant, nihilominus has omnes corporis partes, tanto discrimine inter se distinctas & separatas, vna anima rationalis informat & sustentat, in singulis tota existens, per se & ex accidenti, absq; vlla dimensione & diuisione sui. Causam si tam admirabilis coniunctionis quæris, ea est: quia anima rationalis est immaterialis, quia indiuisibilis, quia incorruptibilis. Quanquam ad hoc, vt aliquid sit incorruptibile, & indiuisibile, sola rei immaterialitas sufficit. Ex solius enim materiæ essentia, & diuisionis imperfectio, & corruptionis pestes erumpunt. Itaq; res à materia solutas & liberas, necesse est indiuisas esse & immortales. Quamobrem cùm anima rationalis sit immaterialis; ideò vt in toto cor-

pore hominis, quod ſuſtentat & informat, eſt tota; ita in qualibet parte corporis tota eſſe debet, nulla ratione in partes aliquas, quemadmodum corpus, diſtracta & diuulſa. Si enim animæ rationalis, totum hominis corpus informantis, eſſentia, partibus corporis diſtraheretur & diuideretur; profectò interitus & corruptionis mala nullo pacto euitaret. Hæ enim partes animæ, corporis partibus diuiſæ & extenſæ, vel ad eſſentiam animæ pertinerent, vel non pertinerent. Si non pertinerent, itaq; non tota anima totum informaret corpus; ſed aliquid aliud, præter vnius animæ eſſentiam, eſſet, cuius ope & auxilio, aliquæ corporis partes formam haberent & ſpeciem, & in rerum natura eſſent: & hac ratione, vnus homo, non eſſet vnus homo, cùm pluralitate formarum, res diuerſæ & plures conſtituantur. Sin autem pertinerent, igitur cùm hæ partes animæ, ab anima reſecarentur, non aliter profectò anima hominis, mentis & rationis ornamentis illuſtris, quàm corpus animantis bruti, in multas partes ſciſſum interiret. Quòd ſi ſublatis animæ partibus, anima viueret; partes profectò è medio ſublatæ & extinctæ, ad animæ eſſentiam minimè pertinerent. Senſus & ratio naturam animalis conſtituunt: an reuulſo ſenſu à corpore, animantis corpus inter animalis ſpecies numerabitur? Ratio & ſenſus eſſentiam hominis conſtituunt:

stituunt: quid? an, etiam solo sensu sublato, homo remanebit? Quare, qui eam vim animæ hominis eripere velit, qua in toto corpore est tota, & in qualibet corporis parte tota, immortalitatis ac immaterialitatis ornamentis, eam priùs exuat & expoliet necesse est: atq; ita naturam, tanta rerum omnium præstantia excellentem, tantis opibus cœlestium bonorum florentem, in mortalitatis pistrinum detrudat & compingat. Quod tamen facere nemo potest, nisi, tanquam rerum imperitus & iniustus æstimator, leges & iura rectæ rationis violauerit. Quàm efficaces et euidentes rationes, natura ipsa nobis subministrauit, quæ omne materiæ iugum, ab essentia animæ rationis participe deiecerunt, eamq; ex omnibus miseriis, & malis mortalitatis & corruptionis, in vitam immortalem & perennem vindicarunt? Verùm præter rem esset, si cancellos propositi sui egrediens, in amplo immaterialis animæ campo, mea vagetur oratio: maximè cùm ea de re, nec cum Epicuro, nec cum Herille, nec cum Cratille, quorum iam pridem explosa est sententia, sit mihi disputatio, nec cum illis, qui consequentias rerum non videntes, quicquid in buccam venit garriunt; sed cum his, quos rectæ laudatæq; Philosophiæ disciplina conformauit.

Sed tamen ne res ea, cui hæc tota nostra ratio innititur, si eam silentio essem præteruectus, ab omni

præsidio

præsidio deserta esse alicui videatur; vnam rationem, quæ ex eo firmitatem & robur assumpsit, quòd anima rationalis res immateriales & vniuersales intelligat, breuiter perstringam. Aristoteles, & ratio ipsa docent: Obiectum dare esse & speciem operationi, operationem autem potentiæ. Quod verum esse facilè est demonstrare. A colore enim visio, et auditio à sonitu, speciem accipiunt, eorumq; opera in rerum natura existunt. Qualis nanq; est color; talis est visio: & qualis sonitus; talis auditio. Cur auditio non dicitur visio, nec visio auditio? Quia nec ista sonitum, nec illa percipit colorem. Atqui si & visio sonitus, & auditio coloris sensum haberet; & visio auditio, & auditio visio diceretur, & esset. Porrò, per quod res in aliqua rerum specie reponuntur, id illarum est forma. Homo enim, quia ideò homo dicitur, quia rationis est particeps; eamobrem anima rationalis est hominis forma. Libanus autem, quia formam arboris habet, inter arbores; carbunculus verò & adamas, quòd forma lapidis consistant, inter lapides numerantur. Et ne singula numerando percenseam, vnumquodq; ad eius rei ordinem refertur, cuius forma & specie, in rerum natura, locum & dignitatem aliquam obtinet. Cùm igitur visio diceretur auditio, si sonos sentiret, musicoq; concentu recrearetur; & auditio visio, si sensum colorum habe-

rum haberet, ac eorum splendore artificiosáq; distinctione caperetur; sequeretur profectò, & auditionis colorem, & visionis sonum formam esse, eáq; & distinctionem, & separationem ab alijs habere, & in rerum natura existendi beneficium. Quod autem de colore & sono dicitur, id de alijs obiectis existimandum est. Manifestum est igitur, obiectum, esse, speciem, & formam operationi largiri. Præterea, in hoc etiam nullum est dubium, visionem esse actum & formam visus, & intellectionem intellectus. Quamuis enim homo facultatem videndi & intelligendi habeat, etiam antequam videat & intelligat; non ante tamen intelligere & videre dicitur, quàm aliquid videat, aut intelligat: quanquam cùm non intelligit nec videt, posse intelligere & videre dicatur. Verùm licet aliquis possit esse rex; non ante tamen rex dicitur, & est, quàm regia corona redimitus gubernaculis Reip. præficiatur. Ergo vt operationes, obiecti forma; sic potentiæ operationum, inter rerum species dignitatem & locum sortiuntur. Cùm igitur res forma existant, & sint res re vera, à formáq; figura, virtus, præstantia, dignitas, distinctio, omnia deniq; quo sunt, viuunt, & sentiunt, ad res perueniant, hæcq; omnia ab eadem forma, à qua res seiungi non possunt, contineantur & conseruentur; cùmq; obiectum operationem forma & specie

sua induat, operatio autem potentiam; sequitur profectò necessariò, talem esse operationem, quale est obiectum, & talem potentiam, qualis est operatio. Subiungamus huic conclusioni nostram propositionem: nempe animæ rationalis obiectum esse, quod intelligit, & cuius forma & specie induitur, substantiã immaterialem & vniuersale. Quid? an non sequitur animæ rationalis operationem ac eius potentiam immaterialem esse.

Sapienter itaque Aristoteles, in duodecimo Me-
Tex: Com: 51. *taphysices libro scriptum reliquit: Intellectum esse illud quod intelligitur. Quæ vox & sententia Aristotelis, si alicui intellectu sit difficilis; illud satis sit illi, quòd viris sapientibus, & in Philosophia egregiè versatis, admodum consona rationi esse videa-*
Tex:Com: 37. *tur. Aueroes certè eximius Aristotelis interpres,*
Tex: Com: 51. *in libro tertio de anima, & in libro duodecimo Metaphysices, disertis verbis asserere non est veritus: Intellectum cum re intelligibili, non solùm vnum esse; verùmetiam magis coalescere in vnum, quàm materiam cum forma. Neq; verò hæc à sapientissimis Philosophis sine magna ratione dicuntur. Prioris sententiæ ratio est ea. Quia enim vnumquodq; est id, quod est per suam formam & naturam, & intellectus sit & existat forma et natura rei intellectæ; eamobrem intellectus intelligens, necessariò est res*

ipsa

ipsa intellecta. Posterioris autem hæc est: quia intellectus cum re intelligibili ita est unum; ut ex eorum compositione aliquid aliud, ab eis distinctum, non oriatur, quemadmodum in rebus compositis ex materia & forma euenire solet. Ex his igitur luce clariùs manifestum est, animā hominis immaterialem esse, & incorruptibilem. Si enim intellectus cum re intelligibili est unum, & intelligibile est immateriale & incorruptibile; intellectus etiam immaterialis & incorruptibilis esse debet. Quòd si intellectus esset materialis, & intelligibile immateriale; intellectus profectò cum re intelligibili unum & idem non essent. Nam quod est immateriale, materiale nullo pacto esse potest: cùm materiale & immateriale differant plus quàm Genere, attestante Aristotele, euidentiq; ratione confirmante. Quæ ratio obstruit omnes aditus, intellectus immortalitatem oppugnandi, ita arcto unitatis vinculo, cum re intelligibili & immateriali copulati. Neq; enim aliqua ratione probabili ostendi potest, rem immaterialem aliquo pacto esse materialem: quod tamen ostendendum est illi, qui unitatem intellectus cum re intelligibili, unà cum sapientissimo Aristotele agnoscens, immaterialitatis præstantiam intellectui negaret. Qua igitur ratione id efficiet? An quia res immaterialis, ut in sua natura spectatur materialis erit? at hoc asserere de-

10. Metaph: tex: 26.

mentis est, & non Philosophi. Si enim rem immaterialem natura sua esse dicis, quomodo, sine temeritatis & extremæ dementiæ nota, eandem natura sua materialem contendes? Dices fortè, non sua quidem natura; sed quatenus est intellecta materialem esse. Ergo Deus, cui idem est (vt cum Philosophis loquar) esse & posse, seipsum intelligens interibit. Tua enim sententia, res immaterialis intellecta, est materialis. Omne autem materiale est corruptibile. Deus igitur suæ essentiæ contemplatione, non felicitatem sibi afferet, quemadmodum sapientissimi Philosophi decreuerunt, sed, quemadmodum tu ineptè ratiocinaris, interitum sempiternum. Sed quis hæc absurda, quibus totum vniuersum euertitur, æquo animo feret? Aut igitur istis, qui immortalitatem animæ eripiunt, de sua sententia decedendum erit, aut tam absurda cantilena occinenda.

Sed ne nimiùm à scopo aberrare videar, ex animæ immortalis amplissimo campo, quem & illustrium Philosophorum authoritate firmatum, & maximis rationibus obuallatum tenemus, ad nostrum propositum referam pedem. Est igitur anima rationalis immaterialis & incorruptibilis, ac proinde in toto corpore, quod informat & sustentat, est tota, & in qualibet parte corporis tota: ex quo sequitur, vnicam eius essentiam, plures res inter se distinctas informa-

re &

re & sustentare. Ex his igitur clarissimè perspicitur: imperfectionem obstare, quo minus vna essentia & natura, in pluribus personis esse possit. Natura enim serpentis, quia est materialis, & admodum imperfecta; ideò partium totius corporis extensione extenditur. At anima hominis, quia est immaterialis, & eam ob causam cæteris rebus perfectior; ideò in toto corpore est tota, & in singulis partibus corporis tota: ac proinde vna eius essentia diuersas corporis partes, re inter se differentes, informat & sustentat: à quibus partibus, si seiungere posses officium & rationem partis, efficereq; ne essent partes; continuò vna essentia animæ rationalis, plura supposita re inter se distincta informaret & sustentaret. Verùm ad tam altum perfectionis gradum, animæ rationali ascendere non est concessum.

Non dubito eos, qui naturas rerum suis momentis ponderare didicerunt, hæcq; omnia diligenter perpenderunt, iam optimè intelligere, quid ex his, quæ hactenus à me dicta sunt, de pluribus in vna diuinitate personis concludatur. Si enim imperfectio in causa est, quo minus in alijs creatis rebus, natura in generante & generato re vna esse possit; an non facilè quilibet intelligit, naturæ Dei, quæ omnem perfectionem, quæ aut dici verbis, aut animo concipi possit, suo ambitu comprehendit, & quicquid imperfe-

ctionis natura rebus affinxit, id infinitis partibus infra eius sit dignitatem, essentiam, sine vlla diuisione sui, in pluribus personis consistere: vt quia Deus Pater alium genuit, ideò plures sunt hypostases: alioquin si plures non essent, nihil generasset: quia verò perfectissimè genuit, ideò vnus tantùm verè sit & nominetur Deus.

Cæterum vt hæc de Sanctissima Trinitate, Dei & Christi Ecclesiæ doctrina diuina & salutaris, omnibus modis in veritatis lucem proferatur; ea, quæ hactenus à me copiosè probata & explicata sunt, ita in summam contraham. In primo rerum omnium principio, & in perfectissimo & summo ente, nimirum Deo Opt. Max. rerum omnium perfectiones continentur. Hanc propositionem præter ea, quæ à me dicta sunt, confirmat natura entis perfectissimi. Ens enim perfectissimum est, cui nulla deest perfectio. Si enim aliqua perfectio in eo desideratur; perfectissimum non est. At generatio est rei perfectio. Generatio enim est ens. Omne autem ens, est perfectum: & omnis forma & natura entis est perfectio. In Deo igitur, eiusq; natura perfectissima generatio continetur. Porro ad intimam generationis naturam spectat; vt in ea sit generans & genitus, & quod idem est, pater & filius. Ex quo necessario concluditur, in diuina natura, quæ perfectissimè generationem

continet, esse Patrem & Filium. Nulla siquidem res sine eo, quo illius natura & essentia constat, esse potest. Verùm cùm illa diuina essentia & natura, sit simplicissima, longeq; remotissima ab omni compositione & diuisione; eamobrem ita generatione illa admirabili, Pater Filio essentiam communicat suam; vt vtriusq; re & ratione sit vna. Itaq; si personas spectes; plures erunt: alius enim est qui generat; alius qui generatur: ille à nullo est; hic à generante. Si autem spectes essentiam, vnum sunt omnino; ita vt essentia vnius, sit essentia alterius: nec aliquid tale aliquis eorum habeat, quod ad essentiam ad perfectionem & ad rem attinet, quod in altero non reperiatur. Quòd autem vna essentia in pluribus esse possit, ex immortalis animæ natura et essentia, quæ in pluribus corporis partibus existit vna & indiuidua, copiosè & clarissimè paulò ante demonstratum est.

Probaui Patris & Filij, in vna natura diuina, hypostases esse. Nunc tertiam personam, à Patre et Filio distinctam, in eadem Dei essentia esse, nimirum Spiritum sanctum, ex iisdem fundamentis breuiter dilucideq;, eiusdem Sanctissimi Spiritus numine fretus, demonstrabo. Itaq; hoc loco, illa eadem propositio, mihi repetenda est, quam initio orationis, planam omnibus feci, nimirum ea: In Deo Opt. Max. tanquam rerum omnium efficiente, & primo principio, re-

pio, rerum omnium perfectiones, & naturæ continentur. Ex hoc autem fundamento, facilè est ostendere, amorem, ad Dei naturam pertinere: modò illud constet, amorem, esse rem aliquam, aut alicuius rei perfectionem. Sed quis est tam hebes, cui in ea re, ex qua præclaræ actiones existunt, & sine qua virtutis officium iacet, aliqua sese perfectio non offerat? Atqui hæc eadem ipsa res, est amor, & ardor quidam animi. Neq; enim viri fortes, pro patria prælium inirent, neq; sancti homines, pro Christi religione, vitam profunderent, si non fuissent, quodam animi ardore atq; impetu concitati. Res est manifesta. Illud potiùs explicandum est, qua ratione in amorem, qui in diuina essentia comprehenditur, nomen personæ conueniat. Sed neq; hoc erit intellectu difficilè ei, qui, in quo ratio personæ consistat, cognouerit. Est autem persona, quemadmodum Theologi, & Philosophi sapientissimè definiunt, intelligentis naturæ indiuidua substantia. Quod cùm ita sit, patet profectò in promptuq; est omnibus, in Deum, in intelligentias, & in homines, eò quod substantiæ sint intelligentes, & indiuiduæ, nomen personæ optimè quadrare. Patet etiam, neq; amorem, neq; verbum mente conceptum, neq; intellectum, neq; voluntatem intelligentiarum & hominis, nomen personæ sustinere posse. Hæc enim in vtrisq; accidentia sunt;

non autem

non autem ſubſtantiæ indiuiduæ. At de amore, qui eſt in Dei eſſentia, aliud eſt dicendum. Nam cùm in Deo nullum ſit accidens, ſed omnia, quæ illius immenſa eſſentia & natura poſſidet, ſint ſubſtantia; ideò amor, eſſentia diuina comprehenſus, perſonæ nomen optimo iure obtinet. Eſt enim indiuidua ſubſtantia, naturæ intelligentis. Hoc idem de ſapientia Dei, de bonitate, de voluntate, de intellectu, & alijs attributis diuinis dicendum eſſet: quandoquidem ea omnia, ſint ſubſtantia naturæ intelligentis; ſed quoniam Dei ſapientia, bonitas, intellectus, & id genus alia, à Patris & Filij perſona, re non diſtinguuntur, ad intimam autem rationem perſonæ ſpectat, vt ab omnibus diuerſis à ſe perſonis, re ſecernatur, (quod quidem, in definitione perſonæ, nomine indiuiduæ ſubſtantiæ deſignatur) idcirco perſonæ, nec eſſe, nec dici poſſunt. At amor diuinus, non ſolùm intelligentis naturæ eſt ſubſtantia, quod quidem, cum omnibus Dei eſſentiæ attributis, commune habet; ſed etiam ſubſtantia ita indiuidua; vt à perſona Dei Patris & Filij re ſeparetur. Quamobrem amor diuinus, meritò tertia in diuinis perſona dicitur. Sed probandum eſt, amorem diſtingui à Patre & Filio. Ad quam rem probè exacteq; explicandam, plurima & difficillima, ex intimis Philoſophiæ penetralibus, eſſent afferenda; præcipuè verò

ea; quæ de Relationis natura et affectionibus in Philosophia traduntur: in quarum consideratione contemplationeq́; rerum, non solùm maximarum artium rudes difficilem exitum habent; sed etiam excellentes Philosophi diu multumq́; detinentur. Verùm ego de his, hoc loco nihil. Illa solùm, quæ hominum ingenia non ita vexant, breuiter perstringam. Ac imprimis illud positum sit; Deum Patrem amare Filium à se generatum. Quod quidem in dubium venire non potest, cùm certum sit, cuiuslibet intelligentis naturæ benè affectam voluntatem, in cognitione summi boni incredibili desiderio exardescere. Deinde illud etiam ponatur, quod ego, in secunda ratione, verum esse copiosè & euidenter comprobabo: nimirum, ea actione amandi, qua Pater Filium, & Filius Patrem complectitur, produci amorem. Ex his facilè est intelligere discrimen, quo à Patre & à Filio amor secernitur & separatur. Si enim amor Patris & Filij, actione amandi producitur; necessariò profectò ab vtroq; distinguetur & separabitur. Atq; hæc quidem consequentia, ex producentis & producti rationibus, maximam vim habet. Nam productum, quatenus est productum, est ab alio, à producente nimirū: at producens, quatenus producens, non est ab alio: alioqui si esset ab alio, non producens, sed productum esset. Hæc itaq; attributa producentis, &

producti, cùm sint res, cùmq; illud, quod datur producto in producens non cadat, nec illud, quod competit producenti, conueniat producto; consequens profectò est, rem producentē et productam semper re quappiam esse differentes. Adhæc amor sequitur generationem. Charitas enim perfecta, est amor alterius. Atqui si Pater Filium non generasset, illa perfectissima charitate alterum amare non potuisset. Ex quo sequitur generationem, omnem amoris ortum necessariò præcedere. Cæterum quod aliud sequitur, est aliud & ab eo, quod se præcedit, & ab eo, quod nec se, nec aliquid aliud sequitur: alioqui si idem esset cum eo, quod nullam rem sequitur; sequeretur aliud & non sequeretur, esset & non esset.

Verùm enimuerò, cùm in illa simplicissima natura, nihil sit prius aut posterius, nihil maius aut minus; sed totæ tres personæ coæternæ sint sibi et coæquales; ideò à consecutione, quæ est in rebus creatis, ea, quæ stare sine imperfectione non possunt, sunt tollenda, solùmq; consecutio producentis & producti, diuinis personis, ex ea parte est accommodanda; qua omni imperfectione vacat. Tria enim in genere consecutio in productione rei habet. Primò, quia productum producente tempore est posterius: deinde, quia natura itidem posterius est: demum, quia est à producente, tanquam suo principio. Duo priora cum imperfe-

ctione sunt implicita, tertium ab omni imperfectione est immune. Omnis enim rei perfectio, non ex eo, quòd sit ab alio; sed ex propria essentia & natura manat. Intelligentiæ æquè sunt à Deo, atq; minima musca; non tamen eam ob causam imperfectio naturam attingit intelligentiarum, propter quam musca, omni animante perfecto, multò est inferior. Ex quo colligitur, imperfectionem non ex eo, quòd aliquid sit ab alio; sed ex propria cuiusq; rei natura oriri. Cùm igitur consecutio rei productæ, ex ea parte imperfectionem habeat nullam, quòd sit ab alio; ideò diuinæ personæ tribui potest. Imò verò debet: quandoquidem ratio amoris, sine consecutione interiret. Si enim amor, est affectio quædam, qua vnus in alterum propendet, si is non erit, qui in alterum singulari inclinatione propendeat, amor & perfecta charitas non erit: quæ profectò à diuina natura, in qua summa sunt omnia, separari nulla ratione potest. Si enim quærimus, quod vnum excellat ex omnibus, charitati, quæ est omnium virtutum fons & origo, palma danda est. Quomodo autem Deus summum bonum esse possit, si virtute careat, qua nihil est præstantius? Manifestum est igitur, primò in diuina natura charitatem, & amorem esse: deinde eum amorem, ex eo, quòd sit à Patre & Filio productus, necessariò esse à Patre & Filio re distinctum & separatum:

paratum: ac proinde tertiæ personæ in diuina essentia, & nomen & rem optimo iure obtinere. Ergo hæc quoq; de prima ratione hactenus.

Sequitur, vt secundam rationem exponam, quæ ex intellectus & voluntatis actione, hoc idem Sanctissimæ Trinitatis altissimum mysterium aliquo pacto explicabit. Quo in loco, etiam generationis diuinæ modum inexplicabilem, quantum humi stratis, res à natura remotissimas attingere licet, aliqua ex parte intueri poterimus. Neq; enim ad eum modum illa generatio diuina intelligenda est, quo res anima & materia constantes, similia sibi procreant; sed ad eum, quo hominis intellectus seipsum intelligens producit verbum, seu sui similitudinem, in qua suam essentiam contemplatur. Quæ quidem similitudo à Philosophis & Theologis appellatur, intentio intellecta, verbum mentis, & mentis conceptio. Verbum ideò dicitur, quia est quædam rei intellectæ expressa effigies & imago, similitudine ducta à verbo voce prolato, quo animi nostri sensum exprimere solemus. Intentio intellecta ideò appellatur, quòd illud per eam intelligatur, quod intellectus sibi intelligendum proposuerat. Conceptio verò mentis ideò, quòd intra cogitationis terminos, veluti partus quidam intra viscera matris, sese cohibeat. Et quoniam ad diuinam illam generationem, & Spiritus sancti processio-

 nem

nem aliquo pacto intelligendam, multùm refert, si clarè ostendamus, intellectione necessariò produci verbum, & actione voluntatis amorem, modumq; quo res amata est in amante; ideò ea in re declaranda paululum immorabor. Exordium autem ab ipso intellectu capiemus: quem similitudinem rei intellectæ, intelligendo semper & necessariò producere, ex natura ipsius intellectionis non est difficilè intelligere. Cùm enim intelligere nihil sit aliud, quàm comprehensio eius, quod intelligitur per intellectum, omne autem comprehensum semper aliquomodo sit in comprehendente; alioquin si in comprehendente non esset, non esset comprehensum; necessarium profectò est, vt intellectus intelligens seipsum, sit in seipso, non solùm vt idem sibi est per essentiam, sed etiam vt comprehensus intelligendo. Est autem intellectus in seipso per suam essentiam, etiam antequam seipsum cogitatione comprehendat. Operatio enim consequitur essentiam rei & existentiam; non autem essentia & existentia operationem. At verò non est in seipso, vt comprehensus, si seipsum cogitatione non comprehendat: cùm neq; ante aliquid sit comprehensum, quàm comprehendatur; neq; intellectus se alia ratione comprehendat, quàm cogitatione. An tu existimare potes; intellectum non cogitatione, quam, veluti agendi propriam perfectionem & formam, sibi

adiunctam habet; sed manu, aut quoddam alio agendi instrumento, quod ex ipsius facultatis dominatu à natura pulsum est, se ipsum comprehendere? Sic profectò ille existimabit, qui quomodo Phantasia, et aliæ facultates intellectu inferiores, sua obiecta comprehendant, non animaduertit, illa solùm edoctus affirmare, quæ in ea comprehensione, qua substantia corporea rem corpoream apprehendit, oculis intuetur. In quorum sententia, qui sibi manendum esse constituent, næ illi sapientibus viris se ridendos propinabunt: facientq́; , quemadmodum Comicus ait, næ intelligendo, vt nihil intelligant. Quamobrem cùm sua cuiq; rei actio, et agendi modus sit tribuendus, nec illud, quod auri conuenit, in gustatum est transferendum, nec illud, quod odoratus possidet, visui est assuendum; omnino de intellectus comprehensione, ita statuendum est, sicut illius natura & ratio exposcit, & quod consentaneum est ipsius excellentiæ. Ergo quemadmodum nulla res comprehensa esse potest, si non comprehendatur; sic intellectus in se ipso esse non potest, vt comprehensus, nisi se ipsum sua comprehendat cogitatione: & quemadmodum illud, quod comprehensum est, non potest esse non comprehensum; sic intellectus intelligens se ipsum, atq; ita se ipsum comprehendens, non potest non esse in se ipso, vt est intellectione comprehensus. Atqui res comprehensa intellectione,

tellectione, aliter non est in intellectu, quàm per sui similitudinem, per actionem intellectus, ab ipsa intelligendi facultate expressam. Quod cùm ita sit, profectò intellectus, intelligendo se ipsum similitudinem sui, quæ verbi nomine & id alijs genus appellatur, producit necessariò? Hæc de similitudinis & verbi productione sententia, multa argumenta habet, quæ summa ratione, quod ita fiat, concludunt. Quæ simul etiam efficiunt, vt intellectionis definitio, ex qua verbi productionem necessariam intulimus, à nullo rerum consequentias probè & accuratè perspiciente, in controuersiam vocari poßit. Ex eorum numero vel hoc vnum, ad eam rem totam confirmandam, est satis: quòd nullus sit, cui, si suos intimos animi sensus consuleret, ac in suum animum, naturam rerum contemplantem se cogitatione conuerteret, rem aliter se habere non posse, planum ac perspectum non esset. Quis enim potest cogitare leonem, aut quippiã aliud, & non simul, eademq; cogitatione, formam similitudinemq; leonis concipere? Tolle hanc ex gremio cogitationis similitudinem; an in tuum animum cadere potest, aliquid in mente cogitationis supereße? Nihil profectò. Non enim fit cognitio nisi per simile. Quod non solùm ratio, & omnis Philosophorum, ac rectè de rebus sentientium schola docet; verumetiam vnusquisq; experitur, & ita experitur; vt illi hoc sit

notius,

notius, quàm earum explicatio rationum, quæ id efficiunt. Nisi fortè aliquis dicat, cùm de homine cogitat, se non hominis, sed formicæ similitudinem in animo habere: cùm hoc negare non possit, semper in animo rem quampiam considerante aliquam speciem relucere. Si igitur rem aliquam animo contemplamur, & contemplamur non præsentem, sed absentem; (ad hanc enim excellentiam, intellectum & imaginationem natura perduxit, vt etiam rerum absentium, quod sensibus non est datum, naturas percipiant) an hoc sine similitudine & specie rei, de qua cogitationem suscepimus, à nobis præstari potest? Non igitur immeritò Aristoteles similitudinem rei & intentionem intellectam, tantùm ad actionem intelligendi adferre existimauit; vt in suis libris quos de animo inscripsit, intellectum omnia esse; & in duodecem Metaphysices libro, intellectum esse illud quod intelligitur, & è conuerso, quod intelligitur intellectum esse dixerit. Quem etiam D. Augustinus, Anselmus, & Damascenus grauissimi Theologi & Philosophi secuti, hanc ipsam similitudinem rei intellectæ, seu verbum mentis, tanta intellectionis cognatione affinitateq; teneri existimauerunt; vt verbum ipsammet cognitionem appellarint: non quòd verbum sit ipsa cognitio & intellectio; sed quia intellectio sine verbo esse non possit, tanquam effictio, sine forma eius quod effingi-

Lib: 3. Tex: Com: 37.
Tex: Com: 51.
15. de Trinita: Cap: 16.
In Morologio Cap: 33.
Lib: 1. Cap: 18.

effingitur, & illud quod certis terminis circumscriptum est, sine termino cogitari, nedum esse potest.

Hîc ego iam subsisterem, & de productione huius in animo similitudinis, verbum dicerem nullum, nisi quorundam voces audirem: qui quidem in intellectu, similitudinem rei cognitæ esse debere confitentur; sed tamen ab intellectu intelligente, eam non necessario produci; sed vel esse ipsam speciem intelligibilem, ab intellectu agente, ad rei cognitionem propagatam, vel ipsam essentiam intellectus, suam ipsius speciem cogitatione percipientis. Quare ostendam ita intellectione produci verbum; vt inter illud & speciem intelligibilem interesse plurimùm intelligatur. Et quod de specie intelligibili dico, hoc idem de ipsamet essentia intellectus, dum in se ipsam cogitationem defigit, accipiendum est. Nam quod facit species intelligibilis à rebus sensibilibus accepta, hoc idem præstat ipsamet substantia intellectus, cùm in se ipsam cogitatione conuertitur. Vtraq; enim & aliqua species est, & species intelligibilis est: quia vtraq; est substantia immaterialis, & in intelligendo efficientis causæ officia & munera exequitur. Itaq; quòd verbum mentis non sit idem, quod species intelligibilis, facilè demonstrari potest. Est enim magnum discrimen, inter principium procreationis, & ipsius terminum, inter efficiens & effectum, producens & productum. Principium

enim

enim procreationis & productionis est illud, quod ipsam productionem efficit: terminus verò productionis cum ipsa productione efficitur: illud, ante productionem termini, in rerum natura extabat; terminus verò non extabat; sed solùm extare poterat. Quæ omnia plurimùm à se distare, quis non intelligit? Atqui species intelligibilis, est principium & causa intellectionis; verbum verò & similitudo rei intellectæ, est terminus & effectus. Jlla etiam antequam intellectus intelligat, inter ea, quæ in hac rerum vniuersitate subsistunt, non postremo numeratur loco; hoc verò non nisi cum intellectus intelligit, in rerum natura cohæret, cum ipsaq; intelligendi actione, ita est copulatum; vt ipsa intellectione sublata, ipsum quoq; verbum interire sit necesse. Quod quidem vnusquisq; ita se habere experitur. Nam cùm intelligimus aliquid, exempli causa lapidem, continuò in nostro intellectu, formam quandam, omni ex parte lapidi similem, exoriri animaduertimus: extincta verò intellectione, ipsam quoq; formam, rei intellectæ similitudinem referentem, ex intellectus luce eripi, & quibusdam tenebris obrui sentimus: adeò vt cum noua eiusdem rei intellectione, noua quoq; similitudo rei exoriatur. At verò species intelligibilis, & ante & post intellectionem, in intellectu fixa manet. Imò manere debet: alioqui si intellectus speciem in-

 telligibilem

telligibilem lapidis, in se ipso, ante intellectionem lapidis, non haberet; nunquam sua intellectione verbum lapidis & similitudinem produceret: quandoquidem nulla res produci posit, nisi à suo simili. Nec enim coruus aquilam generat, nec bos leonem; sed aquila aquilam, leo leonem. Itaq; si intellectus non haberet in se formam lapidis, non habet autem antequam ab intellectu agente specie intelligibili lapidis informetur; nunquam hanc similitudinem lapidis et verbum sua intellectione produxißet. Si igitur non obscurum est, aliud eße producens & aliud productum; aliud quod aliquo temporis momento existit, et aliud, quod illo eodemq; temporis momento non existit: non obscurum etiam est, aliud eße speciem intelligibilem, & aliud verbum & intentionem intellectam.

Atq; hæc quidem de specie intelligibili & verbo sententia, quoniam nobis magnam lucem affert, ad mysterium Sanctißimæ Trinitatis cognoscendum; ideò alia ratione eam stabilire conabor. Primùm autem illud ponam, quod est huius rationis basis et firmamentum: quod tale est. Diuersis actionibus, vnum & idem, in hanc lucem proferri non potest. Neque enim calefactione producitur frigus, nec ea calefactione, quæ hodie fit, producitur ille calor, qui cras est futurus; sed ea, quæ cras est futura, et ad eum calorem efficien-

efficiendum ab agente naturali destinata. Cùm igitur intellectio sit quædam actio; & cum diuersis intellectionibus, & ijsdem inter se repugnantibus, intelligatur species intelligibilis, & verbum: sequitur profectò speciem intelligibilem & verbum inter se diuersa esse. Species enī intelligibilis fit ab intellectu agente; verbum ab intellectu poßibili: illa intelligitur directè, hoc reflexè. Cuius quidem ratio est: quia illa est principium intellectionis; hoc verò terminus. Quæ quidem ratio simul illud efficit, vt non solùm species intelligibilis; verùm etiam ipsa intellectio, qua fit verbum, à verbo distinguatur: cùm præsertim non directè, vt verbum; sed reflexè, vt species intelligibilis, ab intellectu cognoscatur. Nam præter terminum intellectionis, nihil directè cognoscitur. Solùm autem verbum, terminus intellectionis est. Quæ omnia, exemplo pilæ in parietem proiectæ, planiora erunt. Primùm enim & directè paries à pila percutitur: qui deinde ad manum percutientis rediens, reflexè & viam, qua proiectus in parietem tendebat, repetijsse, & manum percußisse dicitur. Cur directè & primùm parietem? Quia ille solùm terminus proiectionis est. Cur manum et viam reflexè? Quia vtrunq; non est terminus proiectionis: sed manus quidem principium & efficiens causa; via autem medium quoddam, & causa sine qua non, vt Philosophis appellare placet.

Eodem prorsus modo intellectio se habet, in specie intelligibili, verbo, & ipsa intellectione cognoscenda. Nam intellectus non modo intelligit res & verbum; sed & suas actiones, & se ipsum intelligere intelligit: sed cum hoc discrimine. Cùm enim verbum intelligit, directè intelligit: propterea, quòd vt pila in parietem; sic in verbum cogitatio primùm tendit, eoq́; terminatur. Deinde verò intelligens verbum, intelligit se intelligere; sed reflexè. Quid ita? Quia, vt pila reflexè manum tangit, eò quòd à pariete in manum recidat; sic mens nostra intelligens verbum, ab eius intellectione, & ad intellectionem, qua verbum concepit, et ad se ipsam, veluti principium intellectionis, alia cogitatione, veluti noua proiectione, relabitur: atq; ita non solùm se intelligere intelligit; verùm etiam vnde ista intellectio profluxit, intelligit: sed vt manifestè apparet, reflexè. Nisi enim priùs intelligeret verbum, non se intelligere intelligeret. Ex quibus, vt opinor clarum est, verbum & similitudinem rei intellectæ, non solùm ipsam intellectionis rationem constituere; sed etiam ab intellectione & specie intelligibili discrepare.

Habemus igitur in animo nostro, intellectum & intentionem intellectam, seu verbum per actionem intellectus productum. Reliquum est, vt ostendamus quomodo in voluntate hominis producatur amor; quo vo-

quo voluntas in bonum cognitum, tanquam suum obiectum, inclinatur, omnesq; suas actiones ad illud consequendum instituit. Quæ vt meliùs intelligantur, initia & fontem ipsius amoris breuiter aperiemus. Primùm igitur homo rem aliquam cogitatione comprehendit. Ex ea verò comprehensione, qua in re intellecta, animaduertit aliquid sibi conueniens, & ad suam naturam perficiendam, maioriq; bono cumulandam aptum accommodumq;, & eam ob rem tantis commodis ad se alliciens & attrahens, sequitur prima affectio animi, cupiditas, & ardor, quo voluntas ad illud bonum persequendum, complectendumq; incitatur, in eóq; requiem suæ oblectationis, magnumq; iucunditatis fructum, ac voluptatem sensus suauitate animum delinientem constituit. In hac autem affectione animi, vis & ratio amoris consistit. Quam quidem affectionem actione voluntatis in voluntate ipsa imprimi, illi solùm ignorant, qui nullius boni cupiditate flagrarunt. Qui verò alicuius boni amore exarserunt, sentiunt ex sæpius iterata actione amandi, voluntatem ignes quosdam concepisse, quibus ad amandum bonum incitatur inflamaturq;. Itaq; sicut illa comprehensio intellectus, est origo & principium omnium actuum voluntatis; ita actu voluntatis producitur ista animi affectio, & oblectatio, quæ pondere suo ita amantem in rem amatam inclinat; quemadmodum

admodum terram grauitate deorsum deprimi, aut ignem leuitate sursum ferri uidemus. Quemadmodum autem verbum ab intellectione & intellectu, quibus producitur est aliud; sic de ista affectione, & actu voluntatis illius origine, & causa sentiendum est. Quod tametsi ab his, qui in Philosophia parum sint versati, difficilè sit intelligere; ego tamen rationes, quæ id satis probant, accommodis exemplis ita illustrare conabor; vt mihi non tam verendum sit, ne id planum faciam; quàm ne in ea re demonstranda prolixior, quàm par est, esse videar. Ratio quæ id demonstrat hæc est. Voluntas circa idem obiectum, vno eodemq; tempore, contrarios actus exercere non potest. Non enim possumus aliquid amare, & simul odio prosequi: alioqui simul idem amaremus, & non amaremus; odio prosequeremur & non prosequeremur. Quæ dissona sunt, & à ratione alienissima. Si enim amamus aliquid, non profectò odimus: præsertim cùm amore coniungamur rei amatæ, ad eamq;, veluti quibusdam vinculis, astringamur. Contrà, si odimus aliquid; non illud certè amamus: cùm odio à rebus segregemur, earumq; omnem sensum, veluti pestem aliquam, procul à nostro commertio repellamus. Atqui coniungi alicui rei secundùm eandem rationem, & simul ab ea segregari; simul stare cum re quapiam, & ab eadem distare; eam à se repellere, &

in sinum

& in sinum complexumq́; suum recipere nihil omnino potest: cùm hoc non minus difficilè sit; quàm eandem rem simul sorbere et efflare: quod tamen in prouerbij consuetudinem abijt, ad res contrarias & inter se repugnantes designandas. Itaq; si aliquis rem aliquam odit, & nihilominus eiusdem rei stimulis quibusdam se agitari sentit, illiusq́; amorem voluptatis illecebris excitari; signum est clarissimum, hanc eiusmodi affectionem, non actum amandi esse, cùm præsertim talis actus cum eiusdem rei odio stare simul nequeat; sed affectionem quandam ex sæpiùs iterata actione amandi derelictam. Quæ quoniam nō vnica; sed pluribus amoris actionibus in voluntate amantis est impressa & insculpta; eamobrem vnico actu contrario, nempe odij extirpari & euelli non potest. Atq; hoc quidem illi experiuntur, qui cùm longo tempore vitam egerunt flagitijs inquinatam, tandem diuino numine afflati ad saniorem redeunt mentem, ac totos se se collocant in animo omni genere virtutum excollendo. Nam cùm alicuius virtutis, cuius contrario vitio sunt imbuti, actiones exercere incipiunt; tùm temporis quidem ab omni actione sceleris et vitij animum suū cohibent; cùm hoc nullo pacto fieri possit, vt aliquis in scelus ruat, et simul eodem temporis momento virtutis amore exardescat; et tamen in perficienda actione virtutis magnis difficultatibus afficiuntur

atq; affliguntur, et veluti quodam insito sibi pondere, à virtutis gloria, ad quam præclara actione contendunt, ad vitium illi virtuti inimicum deprimuntur. Hinc est, quòd flammis diuini amoris incensi, nec labores subire, nec difficultates adire recusant vllas, quas modò ad extirpandum vitium virtutesq; inserendas plurimùm facere arbitrantur. Deniq; nihil est, quod, vt virtute potiantur, non parati sint ferre, & pati. Ex hoc cursu atq; impetu animorum ad immortalis vitæ gloriam atq; felicitatem, in adeptione virtutis, in illud gloriosum descendũt certamen cum scelere & vitio. Vt iniusticiæ fibras euellant, non solùm reddunt vnicuiq; quod suum est; verumetiam damna, omnemq; iniuriam proximo illatam magna compensant liberalitate. Vt auariciam exuant, non solùm aliena non appetunt; verumetiam proprias opes in aliorum vtilitatem effundunt. Vt libidinem comprimant, corpus suum luxuria æstuans, laboribus vigilijs, & alijs duris & molestis exercitationibus diuexant & macerant. Vt inanis gloriæ appetitum coërceant, non solùm ex luce hominum sese abducũt; sed etiam in ijs versantur locis, in quibus sine venditatione & sine populo teste virtute animum excolant, ac ad eam meditationem assuefaciant, vt existimet, nullum theatrum virtuti et pietati, Deo omnia aspiciente, maius esse. Quæ omnia illis, qui primùm e vi-

mùm e vitijs emergunt sunt difficillima. Vbi uerò egerunt radices virtutum, atq; ista animi contentione præclaras actiones confirmarunt, sunt facillima. Ex frequenti enim actione habitus animi, qui nihil aliud est, quàm constans & absoluta in re aliqua perfectio gignitur: quo efficitur, vt omnis opera, quæ in exercitatione virtutis ponitur, cum facilitate & delectatione consumatur. Atq; hoc quidem ita se habere optimè intelligunt illi, qui suum animum Philosophiæ præceptis informarunt: illi verò, qui virtutis stadium præclaris actionibus emensi sunt, non intelligunt solùm, verumetiam magno suo commodo experiuntur. Neq; verò ad eorum numerum illi solùm referendi sunt, quos D. Paulus pilis caprinis coopertos, & in solitudinibus errantes commemorat; verumetiam plurimi Philosophi, qui solius virtutis amore capti, tam præclara facta ediderunt, vt eorum virtutes Christianorum actiones, quibus tanta præmia rerum benè gerendarum sunt proposita, non mediocriter coarguant pigriciæ inertiæq;. Sentiunt itaq; isti sancti viri ex voluntatis actionibus, voluntatem ipsam prauis quibusdam affectionibus inquinari: quæ mole sua virtutis cursum non parum retardant, ac molestijs aspergunt, quæ spinis & vepribus sunt acriores. Hoc idem in ijs, qui à pietate ad flagitia se se converterunt, cernere licet. Quæres enim, vnde

accidit, cur aliquando homines hæretica imbuti impietate, licet ſacrarum literarum teſtimonio & ratione conuincantur; errorem tamen deponere nolint. Sunt quidem eius rei cauſæ permultæ. Et imprimis Dei gratia, ſine cuius afflatu, ne cogitare quidem de virtute poßumus. Sed tamen, quoniam Deus ad hoſtium cordis noſtri ſtat pulſans, & ſi quis ei aperuerit, ſe ad eum ingreßurum pollicetur; certum eſt in nobis quoq; eius rei cauſam reſidere; quam multi ad pudorem referunt, alij ad honores, alij ad commoda priuata, alij aliò. Ego verò ad id præcipuè referendam puto, quòd ad actiones contrarias rectæ fidei aßueti, voluntate hæresim approbando, & Christi eiusque Eccleſiæ fidem repudiando, habitum quendam animo ſuo ingenerarunt, qui ita voluntatem in ſcelus inclinat, vt intellectum contraria, eaq́; ſalutaria ſibi euidentißimè oſtendentem ſequi tamen nolit; ſed illi modis omnibus reſiſtat. Quinetiam ita voluntas in actionibus ſuis naturam immutat, vt quæ antea nõ priùs actionem alicuius rei ſuſcipere ſolebat, quàm ab intellectu oſtendente ſibi bonum moueretur; nũc mutata natura, conuerſaq́; ratione, intellectum ipſa mouet et cogit, ad modum dementis et furioſi: vt quemadmodum Propheta dicit, Bonum dicat malum, & malum bonum. Quo nomine vehementer omnes hæreſes execrandæ ſunt, deteſtandeq́; cane peius & angue: quan-

gue: quandoquidem affectionibus pestilentissimis ita voluntatem humanam exulcerant, ut nisi singularis Dei gratia præsidio adsit, nec ratio, nec patrum et Ecclesiæ authoritas, nec Euangelium ex hoc lacu leonum eorumq; immanissimis faucibus, animam miseram, tamq; cruentis vulneribus fractam & debilitatam eripere poterit. Bene itaq; Poëta.

Facilis descensus Auerni:
Sed reuocare gradum superasq; euadere ad oras,
Hoc opus hic labor est.

Hæc sunt quæ luce palàm ostendunt, actionibus voluntatis, affectiones in voluntate imprimi, easq; ab ipsa actione distinctas esse & separatas.

Illud fortè aliquis dicere posset: hanc affectionem vna cum voluntate nasci: non verò ex actionibus voluntatis oriri. Ineptè satis. Voluntas enim hominis libera est, nec sua natura magis ad hoc, quàm ad illud propensa. Si enim voluntas certa animi affectione à natura esset comprehensa & conclusa; ea ratione necessariò ab omni electione & deliberatione abhorreret. Sic illi ad consilium salutare, ad prudentiam, ad virtutes, deniq; ad felicitatem, quæ non nisi virtutibus comparatur, aditus omnis esset interclusus. Deinde illud certum est, à nemine amari bonum, nisi cognitum, hocq; vel maximè voluntati est proprium. Quis enim illorum bonorũ cupiditate exarsisset, quæ

nemo vnquam vel auribus accepit, vel oculis aspexit, vel cogitando suspicari potuit, si ex Isaia Propheta aut ex S. Paulo de tanta cœlestium bonorum magnitudine non intellexisset? Ergo antequam intellectus cognoscat bonum, illudq́; offerat voluntati; voluntas nulla illius cupiditate duci potest: cùm ignoti sit nulla cupido. Patet igitur affectionem, non vna cum voluntate nasci; cùm voluntas antequam intellectus intelligat, vnà cum hominis animo existat; non autem ante alicuius rei amore afficiatur; quàm intellectus perspiciat, eam suæ naturæ congruẽtem esse.

Vnum est, quo, in hac nostra de voluntate et amore constituenda sententia, ipsemet Aristoteles se se nobis opponere videtur. Nam in nono Metaphysices Tex:10.et.15. *libro ait, per actiones internas (quas immanentes vulgo appellant) quales sunt intellectus & voluntatis nihil produci. Sed hoc non difficilem explicationem habet. Nullus enim effectus externus, per actiones internas producitur: producuntur tamen effectus quidam interni, quibus tam intellectus quàm voluntatis actiones perficiuntur, & sine quibus extinguuntur & euertuntur penitus. Nam intellectione producitur verbum; actione autem voluntatis affectio & amor. Quis enim amare potest sine amore, aut intelligere aliquid sine similitudine mente concepta? Nisi forte existimemus amorem homines, simul atq; voluerint*

luerint deponere posse, illiusq; incendia extinguere: aut non nisi tùm temporis intelligere, cùm in rem intellectam oculos defixerunt. Itaq, non de effectu interno; sed de externo Aristotelem, in suo Metaphysices libro loquutum esse nemini dubium esse potest. Nam & in suis libris Ethicis ex amore gaudium & alias animi affectiones manare; & in libris de animo intellectionem, qua verbum produci demonstrauimus, ab intellectu passibili fieri, non obscurè significat. Sit igitur ratum & fixum, verbum ab intellectione, & amorem ab actione voluntatis prouenire, illarũq; terminos intrinsecos esse et ab illis discrepare.

Nunc ostendemus quomodo res amata in amantis sit voluntate. Habet enim hoc voluntas cum intellectu cõmune: Vt quemadmodum res intellecta in potentiam intelligendi; sic res amata in voluntatis facultatem sedem domiciliumq; suum inferat: cum hoc tamen discrimine. Res enim intellecta est in intellectu, per sui similitudinem; at res amata, est in voluntate, sicut terminus motus in principio mouente, per conuenientiam & proportionem, qua cum ipso est vincta & colligata: sicut locus sursum, est quodammodo in re leui, & locus deorsum in re graui. Quæ explicanda sunt. Sunt enim obscuriora ijs præsertim, qui mediocre studium in altissimarum rerum contemplatione posuerunt. Et vt ex notioribus ad ea quæ sunt ma-

sunt magis à natura tecta & inuoluta gradum faciamus; illud imprimis diligenti consideratione expendendum est, quomodo res intellecta in intelligente esse dicatur. Clarum enim est non hoc ita accipi debere, quasi res ipsa intellecta in intelligendi potentia resideret: sed quia in intellectu est forma quædam intelligibilis, quæ est rei intellectæ similitudo & imago quædam; ita quod rem intellectam esse in intellectu, nihil sit aliud, quàm in intellectu esse ipsius similitudinem. Itaq; quòd aliquid dicatur esse in aliquo, satis est, quòd sit illi aliquomodo simile. Alterum est considerandum: sicut vnum duobus modis dici potest vt interim alios, qui ab Aristotele numerantur, prætermittam modos, vnum specie & vnum Analogia, seu Proportione; ita simile cum ab vnitate deriuetur, ijsdem duobus modis distribui & diuidi potest. Nam quatenus aliqua diuersa sunt, eatenus nec vnum sunt, nec similia sunt. Idem enim quatenus idem à se ipso; nec simile quatenus simile à suo simili diuersum est. Diuersa enim ideò dicuntur, quia propter aliquam repugnantiam, vel in vnam naturam, vel in vnius naturæ similitudinem coire non possunt. Cum itaq; repugnantia sit causa dissimilitudinis & diuersitatis; vbi non est repugnantia in rebus, quæ in natura existunt, ibi ex ea parte dissimilitudo non est. Atq; ita inter se res dissimiles non sunt. Si autem dissimilia non sunt,

5. Methaph. Tex. 9. 10. et sequentib.

ſunt, profectò aut vnum, aut ſimilia erunt. Verùm vt diuerſitatis, alia enim magis alia minus inter ſe diſsident; ſic ſimilitudinis ſunt gradus. Inter illa enī, quæ eiusdem ſunt ſpeciei, maxima ſimilitudo interuenit; at inter ea, quæ Analogia & Proportione ſunt vnum, non item. Hæc enim, vt vnum ſunt non propter vnitatem naturæ; ita ſunt ſimilia non propter eiusdem naturæ formam & figuram; ſed propter aliquam inter ſe conuenientiam, ſiue proportionem. Et hoc poſteriore modo, in amante eſt res amata: non quòd ipſummet amatum ſua eſsentia, aut ſimilitudine omni ex parte amatum exprimente ſit in amantis voluntate; ſed quia amatum eſt proportionatum amanti, illiq; conueniens; & quia amantis voluntas ita eſt affecta; vt ad rem amatam, non aliter quàm leue ad loca ſupera feratur. Quod non faceret, ſi illi res amata repugnaret, nullaq; affinitate cum amante eſſet ſociata: præſertim, cùm vt ſimile ſimili gaudere; ſic naturam ab ijs, quæ ſibi diſsimilia ſunt, & ad ſui conſeruationem minimè accōmoda, abhorrere videamus. Poſſem in eam rem & authoritatem Ariſtotelis & acutiſsimi D. Auguſtini & alias rationes afferre, niſi vererer, ne in ea re hoc in loco probanda plus æquo longior eſſem, ad cuius fontes digitum intendere ſatis erat.

Hæc de intellectu & amore. Ex quibus cùm alia, tùm illud

tùm illud quod ad nostrũ propositum maximè spectat colligitur. Primò duas ibi esse progressiones, aut, si magis placet vox à Schola Theologorum recepta, processiones, verbi ab intellectu, & amoris à re intellecta & voluntate. Secundò duas ibi esse Relationes, verbi ad intellectum & amoris ad voluntatem, ad intellectum & ad verbum voluntatem rei bonitate commouens: quales sunt inter patrem & filium, producens et productum. Tertiò tria ibi ad minus esse re distincta & separata, si cum ijs sentiamus, qui sola ratione & definitione intellectum à voluntate diuidunt: verbum intellectu generatum & intellectus; ex altera parte amor, ab intellectu verbo, seu rei intellectæ similitudine & specie informato productus.

Hæc ad diuinas illas productiones Filij & Spiritus Sancti transferamus: &, vt cum D. Paulo loquar, sempiternam Dei virtutem & diuinitatem, quam FACIE AD FACIEM non nisi in cœlestis et ĩmortalis patriæ regionibus aspiciemus, in anima nostra, quam Deus ad imaginem & similitudinem suam fecit, tanquam in ÆNIGMATE, vt verbo eiusdem Apostoli vtar, contẽplemur. Ac imprimis illud commemorandum est, quod initio orationis verum esse demonstrauimus: nempe omnes perfectiones, quibus naturæ rerum in hac vniuersitate constant, Deum suæ immensitatis gremio & amplexu modo

xu modo eminentiori continere. Quod quidem hoc loco accuratiùs ratione & animo lustrare debemus. Nam cùm hæ perfectiones non paruo discrimine separentur, aliæ enī perfectionem absq; omni vitio deformitate et naturæ lapsu, aliæ verò perfectionem cum modo, quem natura rebus creatis ingenerauit, designant; fit vt aliquæ propriè Deo & creaturis conueniant, aliquæ verò creaturis quidem propriè, Deo autem impropriè. Vtrumq; ratione & exemplo illustrabo. Sapientiæ, bonitatis, intelligentiæ & iustitiæ ratio, eadem quæ hominibus, Deo etiam tribuitur. Dicimus enim DEVM & sapientem, & bonum et intelligentem & iustum, secundùm eandem rationem & deffinitionem, qua homines sapientes, bonos, & iustos & intelligentes appellamus. Eum enim hominem sapientis loco habemus, qui altißimarum rerum causas & rationes percepit: iustum autem, qui reddit vnicuiq; quod suum est. Atqui, & DEum ob easdem causas & sapientem & iustum nominamus. Ille enim est, qui solus, ad exactißimam iustitiæ normam, reddit vnicuiq; quod suum est; & cuius intelligentiam nullius rei quantumuis altißimæ ratio & causa fugere potest. At verò non ob eandem causam leonem, illud animal omnium animalium, fortißimum dicimus, ob quam DEum Opt. Max. Leonem fortem nominamus: sed impropriè & Metaphoricè: quomodo

res aliqua alterius nomine nuncupatur, propter aliquam similitudinem, quæ inter vtriusq; proprietates intercessit: quod est Analogicè dicere. Neq; verò ea solùm quæ sunt rationis & sapientiæ expertia Deus dici non possunt; verùm etiam nec angeli nec hominis nomen, quorum vterq; ratione & vi intelligendi præstat, Deo propriè accommodari potest. Nam in eo, vt de re aliqua verè & propriè, & non Metaphoricè nomen aliquod dicatur; requiritur necessariò vt totum eius significatum proprium, & omnis conditio, quã significato, vt eius est significatum, natura imposuit, illi tribuatur. Si enim pars tantùm significati, quæcunq; tandem illa sit, ei conueniret; nomen significati verè & propriè, ad eam defferri non posset: quemadmodum quamuis lapis sit substantia, non tamen dicitur animal: propterea quòd animal non tantùm substantia, sed etiam sensu, qui lapidi non est datus, natura circumscripsit. Similiter si vox albi, esset instituta ad significandum, primò substantiam, quatenus est albedine exornata, homo qui non esset albedine distinctus, substantiæ nomen sibi vsurpare non posset: propterea quòd tametsi ille homo esset substantia; non tamen esset substantia subiecta albedini. Quæ quidem conditio necessaria esset, ad illum hominem, nullam albedinem in se habentem albi nomine designandum. Cuius ratio hæc est. Quia de-

finiti,

finiti nomine illa res verè et propriè significari nō potest, cuius naturæ, definiti ratio et deffinitio non competat. Quis enim vnquam rem aliquam hominem appellauit, quæ licet sensum haberet, rationis tamen non esset compos? Cum igitur nomen angeli & hominis, in suum significatum, non solùm perfectionem quandam, sed etiam modum proprium, quo perfectio illa in eis reperitur, inferant, & cùm modus ille, qui est eis proprius, Deo non conueniat; eamobrem Deo Opt. Max. nec angeli nec hominis nomen, tametsi in eorum naturis singularis insit perfectio, qualis est sapientia, bonitas, altissimarum rerum intelligentia, verè & propriè imponi potest. At si à sapientia, bonitate, intelligentia, et alijs huiusmodi perfectionibus, modum, quo in natura Angeli & hominis de his perfectionibus multum detrahitur, separauerimus, ipsasq́; sine tali modo in cogitationem nostram induxerimus; sicut Angelus & homo à sapientia & bonitate, quæ in illis sunt, sapiens & bonus dicitur; ita Deus Opt. Max. qui nec Angelus nec homo dici potest, sapiens & bonus ab eadem sapientia & bonitate dicetur. Modus autem, quo istæ perfectiones naturis creaturarum sunt insitæ, in eo præcipuè consistit. Primò, quia bonitatem, sapientiam, intelligentiam hominis et intelligentiarum, certis finibus natura terminauit, nec eis potestatem dedit omnia intelligendi, quæ vel-

lent et cuperent animo et cogitatione comprehendere. Deinde quia hæ perfectiones tàm homini, quàm intelligentijs sunt accidentia: cùm intelligentiarum natura compositionis imperfectione non sit omnino liberata; multò minus hominis, qui ex materia & forma est concretus. Ad extremum quia hæ perfectiones in ipsis distinctæ sunt & separatæ, nec omnes sunt vna, nec vna omnes. Aliud enim in illis velle, aliud intelligere, aliud bonitas, aliud sapientia; nec sapientia est bonitas, nec bonitas sapientia, aut aliquid aliud quod intelligentijs natura imposuit magna cum excellentia præstantiáq; reliquarum omnium, quæ conditæ sunt, rerum. At verò omnes hæ perfectiones in Dei Opt. & Max. natura cui verè & non Metaphoricè insunt, nullo fine nulláq; terminatione concluduntur. Deinde non sunt diuisæ & separatæ; sed Dei bonitas est eius essentia, sapientia, iustitia, intellectus, voluntas, & voluntas est intellectus, bonitas, sapientia. Deniq; singulæ diuinæ naturæ perfectiones, sunt omnes perfectiones; & omnes sunt singulæ. Propter primum, quia nimirum hæ omnes perfectiones Deo insunt verè & non Metaphoricè; dicuntur esse in eo secundùm essentiam & deffinitionem: propter hoc alterum eminenter. Secundùm substantiam ideò, quia non solùm nomen sapientiæ, intelligentiæ & aliarum huiusmodi perfectionum; sed etiam ipsa

ratio &

ratio & definitio rei nomine significata Deo conueniunt. Non enim nomine tenus; sed etiam re ipsa Deus est sapiens, intelligens & volens. Eminenter verò hæc eadem omnia in Deo esse dicuntur et sunt: quia vna essentia Dei, omnes rerum omnium perfectiones, ita naturæ suæ ambitu comprehendit; vt quemadmodum res singulæ & plurimùm inter se discrepantes, proprias & distinctas sui similitudines; sic vna essentia DEI omnium earundem rerum notitiam et similitudinem in intellectu creato gignere potest. Et quemadmodum decennarius numerus, quia in se & quinarum & senarium et nouennarium continet; ideò omnes eosdem numeros certis vnitatibus subtractis referre potest; sic ex Dei vna & eadem essentia, quia in se omnia continet, intellectus noster omnium rerum similitudines & species ad cognitionem earundem rerum instaurandam cōstituendamq́; tanquam ex vberrimo fonte depromere potest. Ad quod respiciens quidam Philosophus ait: Nobiliora in rebus, minus nobiliorum exemplaria esse: & Chrysippus apud Ciceronem docet: Omnia in perfectis esse meliora. Lib: de nat: deorum.

His fundamentis ita constitutis firmatisq́; non difficilem nobis, ad aliquam trium in vna essentia diuina personarum cognitionem, aditum parabimus. Constat enim, Deum intelligentem esse & volentem, illiq́; in-

illiq; intelligendi & volendi actionem verè ac propriè competere. Illud etiam satis probatum est, intimam intellectionis volendiq; actionis rationem, in verbi & amoris productione consistere. Ex quo sequitur Deum intelligendo seipsum, necessariò producere verbum. Quòd si isti, qui diuina omnia, ratione humana metiuntur, ab ipsa ratione victi concedant, intellectionis rationem in verbi productione consistere: concedat etiam in Deo verè et non Metaphoricè intellectionem, & rerum omnium intelligentiam esse; eius tamen naturæ verbi productionem denegent, quis nam obsecro illos insanire dubitabit? Ad rationem naturæ hominis pertinet, vt sit animal rationale. Dices tu, Ioannem, verbi gratia, hominem esse, illiq; hominis definitionem tribues, nempe dices eum esse animal rationale. quid? an his ita concessis, Ioanni rationem & intelligentiam sine maximæ dementiæ stultitiæq; nota denegare poteris? Quid igitur? an non hoc simillimum est? Deum intelligentem esse dicis, eiq; intelligendi actionem verè ac propriè competere concedis: concedis etiam intimam intellectionis rationem in verbi productione positam esse. Hic si Deo verbi productionem negas, an non ob eãdem rationem delirare censendus es, ob quam cum Ioanni, tua sententia hominí rationem ademisti, extremæ stultitiæ dementiæq;

tiæq; notam amens incurristi. Sed vltra progrediamur, eosq; quos tanta egestas rationis premit, in tam altæ tamq; abditæ consideratione rei missos faciamus. Quoniam verò in intellectionis & volitionis ratione explicanda prolixior eram; ideò in hac propositionis nostræ explicatione, quæ ipsius intellectionis & volitionis rationibus tanquam quibusdam fundamentis constituitur, prolixitatem orationis breuitate compensare potero. His enim fundamentis ita constitutis, tria illa, in quibus tota nostra de Filio Dei sententia vertitur, ad explicandum sunt expeditissima. Primò enim ostendendum est, in diuina natura verbum esse: deinde hoc verbum esse personam: tertiò filij nomine meritò appellari. Cæterum verbum in diuina natura esse, iam explicatum est. Si enim Deus intelligit, intellectionis autem ratio sine verbi productione esse nequit; consequens profectò est Deum intelligendo producere verbum. Atq; hoc quidem tertium, quod ex duobus antecedentibus sequitur, negari non potest; nisi aut intellectionis ratio euertatur, aut Deo intelligendi potestas subtrahatur: quorum vtrumq; à ratione alienum est; postremum verò etiam impium. Qui enim Dei intelligentiam infirmat tollitq; ; ipsam Dei naturam infirmat, ac Deum ipsum ex hac rerum vniuersitate tollit. Quo an aliquid magis impium fingi aut cogitari potest?

Perspicuum itaq; est Deum intelligendo producere verbum. Quòd autem verbum diuinum sit persona, ex personæ definitione facilè intelligitur. Tria enim sunt quæ rationem personæ constituunt. Primò enim substantia esse debet, deinde substantia intelligens, tertiò indiuidua substantia. Quæ tria in verbo diuino reperire est facillimum. Est enim Deus res simplicissima & purissima, omnis penitus compositionis expers, non ex materia & forma, non ex subiecto & accidente, non ex genere & differentia, nec ex actu & potentia compositus. Itaq; verbum in Dei essentia, non est accidens. Substantia igitur est. Cùm quicquid in hac rerum vniuersitate existat; aut substantiam aut accidens esse oporteat. Quòd si verbum diuinum accidens esse contendes; continuò sequetur Deum esse compositum. Componetur enim ex substantia & accidente. Ac verbum quidem substantiam esse, ex his quæ dicta sunt constat. Quòd autem sit substantia intelligens, & quòd substantia indiuidua, & præterea ita substantia indiuidua, vt sit eiusdem cum patre essentiæ & naturæ, (quod quidem tertium soli personæ diuinæ proprium est) partim ex immaterialitate, partim ex natura productionis, partim ex simplicitate Dei non obscurè probatur. Ex immaterialitate quidem intelligens substantia esse concluditur. Verbum enim diuinum

uinum cùm ſit Dei ſubſtantia, eſt immateriale. Omne autem immateriale eſt intelligens. Ex vi autem productionis oſtenditur eſſe ſubſtantia indiuidua, hoc eſt incommunicabilis, & in ſe indiuiſa, & à quocunq; alio diſtincta. Sic enim hoc loco indiuidui nomen accipitur. Qua ratione eſſentia diuina non eſt indiuidua. Tametſi enim ſit ſubſtantia indiuiſa in ſe, à nulla tamen perſona diuina diſtinguitur; ſed vna omnibus eſt communis. At verò verbum diuinum ita eſt indiuidua ſubſtantia; vt ſit à Patre diſtinctum. Eſt enim intellectione Patris productum. Producens autem & productum, quemadmodum ſuprà oſtenſum eſt, rei diſcrimine inter ſe ſeparantur. Itaq; ex vi & natura productionis patet, verbum diuinum indiuiduam eſſe ſubſtantiam. Ex ſimplicitate verò Dei, verbum diuinum ita ſubſtantia eſſe oſtenditur; vt ſit eiuſdem cum Patre eſſentiæ. Nam ſi verbum nō eſſet eiuſdem cum Patre eſſentiæ; Deus aut non eſſet ſimplex, aut non eſſet intelligens. Si enim alia eſſet eſſentia verbi, alia Dei intelligendo producentis verbum, Deus cùm ex verbi & ſua eſſentia componeretur, ſimplex non eſſet. Sin autem iſta duo, nempe eſſentia Dei & verbi ita eſſent diſtincta & ſeparata, vt vnum ad alterius ſubſtantiam & naturam non pertineat; profectò ea ratione ſequeretur Deum non eſſe intelligentem; cùm verbum

 in cuius

in cuius productione intelligendi actio consistit, in sua essentia non habeat. Cùm igitur verbum diuinum sit substantia intelligens, & indiuidua substantia, & ita indiuidua, vt tamen sit eiusdem cum Patre essentiæ; iure optimo persona diuina & est & appellari debet. Reliquum est, vt explicetur, cur verbum diuinum filius esse dicatur. Quod quidem facillimum est. Omnis enim substantia indiuidua ideò filius dicitur, quia vi & natura productionis, qua ex essentia generantis emanauit, suo generanti omni ex parte est similis. Atq; hoc quidem ita se habere à natura ipsa docemur. Nullus enim eam rem hominis filium appellaret, quæ nulla similitudine hominis naturam & speciem referret. Cùm itaque verbum diuinum sit substantia, intelligendi actione ita producta; vt vi & natura productionis rei intellectæ, hoc est, Patri æterno sit similis; meritò profectò Filij nomine appellatur. Verbum enim est similitudo rei intellectæ, ab intelligente specie rei intellectæ informato productum: quod quidem, si nullam rei intellectæ similitudinem gereret, verbum non esset. Quamobrem verbum diuinum, vt personæ diuinæ, ita Filij Dei & nomen & definitionem meritò sibi vendicauit.

Ex eisdem etiam fundamentis Spiritum Sanctum personam esse ostendemus. Deus enim ex eo, quòd se- ipsum,

ipsum, suamq; immensam bonitatẽ intelligit, seipsum eandemq; suam bonitatem amat necessariò. Siquidem necessarium est, vt voluntas benè affecta in boni intellecti amorem rapiatur. Hæc vt de Deo sentiamus, & ratio ipsa exposcit & diuinæ naturæ præstantia. Nam vt Deus verè & propriè est intelligens; ita verè & propriè volens. Et quemadmodum rem ab omni materiæ concretione liberam consequitur, estq; cùm eius natura coniuncta semper, & vincta vis & facultas intelligendi; sic rem intelligentia præditam, consequitur potestas volendi & appetendi. Siquidem omne immateriale est intelligens; & omne intelligens est volens: & conuersa ratione, omne volens est intelligens; & omne intelligens est immateriale. Atqui ad intimã primæ actionis, quæ voluntati debetur, rationem pertinet, quemadmodum abundè satis à me probatum est, amoris productio. Ergo cùm Deus verè & propriè velit, seq; ac bonitatem suam amet; necessariò hac volendi actione affectionem quandam producit & amorem. Qui quidem diuinus amor cùm nõ sit accidens, quandoquidem Dei natura nullum accidens in se recipiat, & cùm sit substantia intelligens & indiuidua, & ita indiuidua; vt tamen eandem cum Patre & Filio substantiam habeat & naturam; idcirco meritò persona diuina nuncupatur. Hoc loco ea fere om-

 nia,

nia, quæ paulò ante explicaui cõmemoranda essent. Nam ex eisdem rationibus, ex quibus verbum diuinum, amor etiam diuinus & substantia intelligens & indiuidua esse colligitur; & ita indiuidua, vt quemadmodum Pater à Filio; sic amor, qui à Patre & Filio producitur, à Patre & Filio distinguatur. Illud igitur solùm hoc loco ostendendum restat, cur amor diuinus non Filius, quemadmodum verbum diuinum, sed Spiritus sanctus esse dicatur. Quæ res prima fronte non parua ambiguitate obscura esse videtur. Nam Spiritus sanctus, quemadmodum etiam Filius à Patre producitur, estq; Patri non minùs quàm Filius, cùm non minùs Patris habeat substantiam & naturam, similis. Verùm hæc ratio nihil eos mouet, qui in quo generationis ratio qua Filius, & volendi actio, qua amor producitur consistat, probè intelligunt. Primò quia tametsi amor Patri & Filio sit similis, non ex vi tamen productionis; sed quatenus est eiusdem cum eis substantiæ & naturæ, vtriq; est similis. Deinde quia tametsi, vt res intellecta est in intelligente per verbum; sic res amata in amante sit per amorem; res tamen intellecta est in intelligente, propter sui similitudinem: at verò res amata in amante est, non propter similitudinem; sed propter congruentiam & affinitatem, qua amantem cum re amata natura sociauit. Quapropter amor diuinus, quia non ex vi

ex vi productionis; sed aliunde Patris similitudinem gerit & speciem, filij nomen habere non potest. Sed quemadmodum filij nomen amori diuino imponi non potest; ita Spiritus appellatione commodissimè designatur. Omnis enim vitalis commotio & impulsio spiritus dicitur. Quod quidem nomen ab ea, qua animalia excipiunt aërem, eundemq; à pulmonibus respirant ac reddunt, respirationis similitudine inuenit. Iam verò copiosè satis ostensum est, actione amandi, non similitudinem rei amatæ; sicut intellectione similitudinem cognitæ rei; sed solùm quandam affectionem in voluntate produci. Atq; hæc quidem affectio, cùm vim in se habeat vitalem, & cum amantem in rei amatæ summam coniunctionem ducat & impellat; an non meritò spiritus nuncupari debet? Ex his igitur manifestum est, tres personas in diuina natura esse. Quoniam verò tàm verbum cum actione intelligendi & intellectu; quàm amor cum volendi vsu & actu, & voluntate sunt idem; intellectus rursus & voluntas cum Dei essentia res sit eadem; sequitur profectò omnium trium personarũ essentiam et naturam esse vnam, et quicquid ad essentiæ vnitatem attinet, idem illis esse omnia; adeò quòd in illis tribus personis re ipsa inter se distinctis, non sint tres essentiæ & naturæ, sed vna; non tres potentiæ & virtutes, sed vna; non tres res, sed vna.

Hæc

Hæc cùm pij homines, & quos Deus ad ciuium numerum vitæ immortalis asciuit, audiunt, tametsi eas rationes, quæ in tam alto reconditoq; mysterio mirificè lucent, nesciant aut non intelligant; intellectu tamen suo in obsequium Christi mancipato astrictoq; cum D. Paulo in illas erumpunt voces: O ALTITVDO DIVICIARVM SAPIENTIÆ ET SCIENTIÆ DEI. *Mali itidem & peruersi homines, cùm hæc audiunt, erumpunt quidem, sed excæcati & dati in reprobum sensum, in voces stultitiæ et nefandi sceleris plenissimas, quibus ex ista Dei admirabili sapientia & scientia detrahunt diuinitatem, negando Filium Dei,* IN QVO SVNT SAPIENTIÆ ET SCIENTIÆ DEI THESAVRI ABSCONDITI, *DEum esse æqualem Patri, & eiusdem cum eo substantiæ & naturæ. Quasi verò Deus illud facere non posit, quod illi mente & ratione comprehendere non possunt. quo quidem nihil potest esse stultius & ineptius.* QVIS *enim* COGNOVIT SENSVM DOMINI, AVT QVIS CONSILIARIVS EIVS FVIT? *Scilicet DEus non ante generationem Filij sui instituere voluit, aut non potuit; quàm an hoc illi mente & cogitatione comprehenderent, planum perspectumq; haberet. Quid? an oculis præter colorem & lumen aliquid aliud vsurpamus? aut auribus præter sonum quippiam aliud accipimus? aut odoratu præter odorem, gu-*

rem, gustatu præter saporem, rem quandam aliam capimus? aut tactu aliquid aliud, præter durum et molle, præter caloris & frigoris appulsus sentimus? Atqui omnia ista, quæ separatim singulis sensibus accipimus, phantasia et imaginatione intuemur; intellectu verò et ratione, et ad hæc omnia, quæ in imaginationis sunt potestate, & præterea ad intelligentiarum ac ipsius Dei cognitionem nos ipsos efferimus. Quid ita? Quia quo facultas aliqua est præstantior; hoc maiora & plura percipit & efficit. Quibus enim regionibus spacium obiecti circumscriptum est; ijsdem etiam potentia obiectum cognoscens, virtutem terminauit suam. Quia ergo phantasia sensus, ratio autem phantasiam longè multumq; superat; ideò vt phantasia sensibus; sic ratio & intellectus phantasiam in cognitione excellit. Quid igitur, an isti homines non delirarent, si ideò intellectum rerum immaterialium intelligentia spoliarent; quòd sensus res immateriales non percipiat? aut ideò nihil immateriale esse dicerent; quòd nihil tale in sensum incurat? An quia difficilè est rustico persuadere, Solem multò maius spacium, quàm vniuersas terræ regiones occupare; ideò tanta amplitudo Solis & natura corruet? Verumenimuerò si isti, qui tam ineptè res accomodant, delirare non dubitantur; an illi delirare dubitabuntur ampliùs, qui Deum Opt. Max. aliud nihil, quàm

quòd illorum intellectus capere potest, capere aut efficere posse arbitrantur? Mihi verò isti non tàm delirare; quàm cerebrum ipsum amisisse videntur. Quanquam enim inter sensum et rationem magna sit distantia; non est tamen infinita. At verò inter rationem & Deum, eiusq; virtutem & sapientiam, immensum infinitumq; interuallum est interiectum. Finiti enim ad infinitum, quod Philosophi apprimè cognouerunt, nulla est proportio. Ergo si ille delirat, qui sensuum angustijs intellectus actiones circumscribit, non plùs intellectum quàm sensum sapere affirmans; an non iure optimo mente captus esse dicetur, qui infinitam immensamq; Dei potentiam & intelligentiam, in intellectus sui angustias, non aliter atq; imensum mare, in exiguum alueum, & digito non profundiorem vno cogere nititur? Quare si in definienda Dei natura, vel solam rationem sequerentur ducem; non tamen ita temerè & imperitè, imbecilli sua cognitione, Dei immensam virtutem & sapientiam metirentur. Nos verò qui ex ipso etiam Aristotele didicimus, mentis nostræ aciem ad diuinitatis lucem ita hebetem esse; vt sunt oculi noctuæ ad Solis splendorem; sic apud nos de immensa Dei potentia & virtute statuimus; vt illum multò plura facere posse; quàm nos animo cogitare, existimemus. Omnia sub illius aspectum lucemq; subiecta esse, nihil illum fugere, nihil,

nihil, quod illi factu eßet difficilè, eße confitemur. Nisi fortè aliquid sit, quod vel euidentem contradictionem implicaret, vel diuinæ maiestati, in qua summæ dignitatis & splendoris fontes clauduntur, minimè conueniret. Itaq; licet nulla ratio eßet, quæ nobis persuaderet, tres in vna natura diuina hypostases eße, quia tamen CHristus IEsus Dei Filius, qui nec falli nec fallere potest, ita se rem habere nobis patefecit; eam solùm ob causam aßensum libentißime præberemus & præbemus.

Sed hoc loco, non tàm cum illis hæreticis nobis est negocium, qui CHristi Euangelium se recipere profitentur; quam cum ijs, qui omne obsequium fidei repudiantes omnem suum aßensum solis rationibus humanis appenderunt. Dicant igitur isti tam acuti sophi, quæ ratio diuinæ dignitati et potentiæ hæc repugnare demonstrat? Probent, ostendant, hæc nos de diuina natura simplicißima aßeuerare nō poße, nisi simul illa concedamus, in quibus contradictionis oppositio est implicita. Hoc verò illi ostendent nunquam: quantumuis vt Codro; sic illis rumpantur ilia. Quid? quòd cùm productionem verbi & amoris diuinæ naturæ subtrahent; an nō eodem impetu Deum Opt. Max. ex intelligendi & volendi potestate exturbabunt? Quandoquidem certum sit & apertè demonstratum, nec intellectionem sine verbi, nec actionem volendi

ſine amoris productione cohærere poſſe. Quòd ſi has productiones concedunt; an non neceſſariò in diuina natura Trinitas perſonarũ illis confitenda erit? Nam vbi eſt producens & productum; ibi neceſſariò Relationis, quæ natura ſua alterum reſpicit, eſt fundamentum. Præterea ſi producens alium ſua productione non produceret; igitur aut nihil produceret, aut ſeipſum: quorum vtrumq; inconueniens eſt, & à recta ratione alienum. Si enim nihil produceret; ergo aut nulla eſſet producentis productio, aut certè exigua & imbecilla virtute niteretur: qua factum eſſet, quo minus virtus producentis, ad terminum à producente propoſitum, ſuam actionem perducere potuerit. Quod de Dei virtute infinita & immenſa cogitare impium eſt, & rationi minimè conſentaneum. Sin autem dicatur ſeipſum ſua productione produxiſſe, & hoc non minus inconueniens erit. Si enim ſe produxiſſet, à ſua productione eſſet. Quod enim producitur, eſt à producentis productione: quemadmodum ferrum candens, eſt calidum à calefactione ignis calefacientis. Atq; ita Deus ſi ſeipſum produxiſſet, non eſſet producens; & quod inde ſequitur, non ſe produxiſſet. Nam producens quatenus producens, non eſt ab alio; ſed eſt ille, à quo eſt alius. Sic itaq; ex primo illo tuo, quod tu aſſeris, nempe Deum ſe ipſum & non alium produxiſſe, ſequitur hoc alterum, nimirum Deum ſe

non pro-

non produxiſſe. Itaq; ſe produxiſſet & nõ produxiſſet. Quòd ſi hoc alterum falſum eſt, falſum eſt et primum: cùm ex vero *quemadmodum Philoſophus magna ratione in Logica concluſit*, nunquam falſum, quamuis ex falſo, & falſum & verum inferatur. *Ad hæc, ſi à productione eſt producens, quatenus eſt à productione, producens non eſt. Producens enim quatenus producens à nullo eſt. Si ergo Deus pater, qui à nullo eſt, quoniam ſolùm producens eſt, productione primùm inter res locum haberet; eſſet antequam non eſſet. Si enim eatenus exiſtit & cohæret in rerum natura, quatenus ab alio eſt; profectò cùm non eſt ab alio, in natura rerum non exiſtet. Quemadmodum Filius ſi non eſſet à Patre, Filius non eſſet, & ſic non eſſet: quandoquidem eatenus exiſtat et cohæreat in rerum natura, quatenus eſt Filius. Quatenus autem filius eſt, neceſſariò à patre eſt. Atqui DEus, vt producens, eſt, & in natura rerum exiſtit, tametſi non ſit ab alio: imò quatenus producens, non debet eſſe ab alio: & tamen tuo iudicio, quatenus producitur, debet eſſe à productione. Eſt igitur Deus & non eſt. Quo quid inconuenientius dici aut cogitari poteſt? Hæc iſtis acutis Philoſophis & à Chriſti doctrina auerſis incommoda ſubeunda erunt. Nos verò, qui Ieſu CHriſti doctrinam profitemur, non ſolùm in tam abſurdos craſſosq; errores non impingimus; verumetiam*

tiam & omnia argumenta, quæ contra Sanctißimæ Trinitatis mysterium fingi aut excogitari poßunt dilucre; et ad comprobandum declarandumq; hoc idem altißimum profundißimumq; arcanum, non obscuras rationes habere poßumus. Ex quarum numero duæ iam sunt à me explicatæ: quarum vtraq; quantum momenti habeat & ponderis, nihil dico. Sapiens certè, & in Philosophiæ studio vel mediocriter versatus facilè intelligere potest, Deum Opt. Max. ad tuendum diuinum suum honorem, in naturæ cognitione & obscuritate, suæ Sanctæ Ecclesiæ admiranda præsidia reliquiße.

Tertia ratio nunc mihi declaranda venit: quæ ex eo, quòd Deus Opt. Max. est forma & res quædam in rerum natura cohærens, robur & firmitatē habet. In hac ego explicanda constituendaq; eam rationem & viam tenebo, quam non tàm Philosophi, quàm ipsa ratio ad res breuiter dilucideq; demonstrandas inuenit, & accomodatißimam eße iudicauit. Parùm me illud mouebit, si quis in ea re splendorem verborum desiderabit, quæ ornari negat contēta doceri, & in qua mihi propositū est, non tàm aures suauitate orationis mulcere; quàm rationis perspicuitate, & euidentia nostræ sententiæ veritatem in oculis omnium, aut saltem sapientium & prudentium defigere. Ratio sic habet. Natura cuiuslibet actus & formæ est, quan-

est, quantum fieri potest, se ipsam communicare. Sed Deus Opt. Max. est omnium præstantissimus actus et forma. Ergo Deus Opt. Max. natura se ipsum communicat. Hîc ego antequam vlterius progrediar, huius Syllogismi, in quo non ad propositum solùm; sed etiam ad superiores rationes magis confirmandas illustrandasq́; magna sunt adiumenta, vtramq; propositionem probabo. Ac prima quidem propositio, tametsi nemini, qui ex sapientissimorum virorum scriptis & doctrina excellentissima quæq; libauit, obscura esse possit; eam tamen hoc pacto conabor facere planiorem. Omnem actum & existere (nam hoc loco nomine actus, omne quod in natura rerum existit et cohæret cum Philosophorum schola appellamus) sequitur necessariò actio, in illiusq́; natura, tanquam sanguis in viuentis animalis corpore, & venis irretita ac implicata insidet. Omne autem aliqua actione præditum est agens, Omne autem agens agit, secundùm illud quo re ipsa existit. Agere verò nihil aliud est, quàm se communicare. Omnis igitur actus, & omne quod existit, quantum fieri potest, se communicat. Quàm benè ex his propositionibus conclusio infertur, nemo est qui non videat.

Sed illud forte aliquibus non est ita notum: Omne agens agere, & agere nihil aliud esse, quàm se cõmunicare: in quo, quoniam huius argumenti vis est omnis con-

nis constituta eam ob causam non existimabo me oleum & operam perdere, si me, ad illud clarè dilucideq; explicandum paululum conuertam. Ac imprimis sese mihi offert Aristotelis Philosophorum facilè principis authoritas, qui disertis verbis hanc nostram confirmat sententiam: estq; hoc frequens in illius doctrina: Esse, sequitur operari, & quale aliquid est, talia operatur. Verumenimuerò si nos quoq; ipsi ad huius mundi fabricam mentem & cogitationem conuertamus, resq; singulas, in eius amplissimis regionibus circumspiciamus; rem se ita habere intelligemus. Quæcunq; enim in hac rerum vniuersitate existunt, aut sunt incorporea, & ab omni materia libera, aut corporea. Si incorporea, viuunt & intelligunt: atq; ita se ipsa intelligendo suæ naturæ speciem, quam intellectionis actio necessariò requirit, in facultate intelligendi producunt. Si corporea, vel sunt animata vel inanima. Animata sentiunt, earumq; facultatum actiones exercent, quibus sunt à natura instructa. Inanima autem & sensu carentia, aut sunt simplicia corpora, aut ex simplicibus composita. Si sunt corpora simplicia, cùm tantùm sint quatuor, ignis, aër, aqua, terra; aër & ignis calefaciunt, hic simul exsiccando, ille verò humectando; aqua verò & terra corpora frigore conquassat, illa simul humectando, hæc verò exsiccando, hisq; actionibus se ipsa alijs impartiuntur

municant eaq; in lucem edunt. Si sunt corpora mixta & ex his quatuor elementis conflata (nulla enim est res corporea, quæ illorum compositioni & mixtioni existendi in hac rerum vniuersitate beneficium non referat acceptum) agunt profectò: quandoquidem compositio naturam non euertit; sed mutat tantùm. Itaq; quemadmodum simplicia corpora & elementa rerum, ex diuersa compositione quatuor qualitatum, nempe caloris siccitatis, humoris & frigoris suas naturas multùm à se dissidentes alijs communicant; sic hæc corpora mixta, ex varia multipliciq; earundem qualitatum commixtione suas formas multùm inter se differentes, in alia transfundunt, sicq; ea quæ ante non extiterunt, lucis huius vsura donant. Atq; hoc quidem, primùm in rebus animatis cernere est, deinde verò in elementis. Nam his qualitatibus quatuor, tanquam aliquibus instrumentis, animantia similia sibi procreare luce palàm intuemur. Ignem autem, quis non videt calefaciendo ignem efficere? Vbi autem copiosa aqua in ignem vel aërem aut terram se se effuderit, omnia ista suo dominatu coercet et comprimit, & eorum naturis fractis & debilitatis, tandem post multam victoriam de omnibus triumphat eaq; omnia in suam naturam conuertit. Idem de aëre & terra sentiendum. Vbi enim magna virtute in regiones tenuis, & ad pugnam imparati ignis aut aquæ

irruperint, ea sic populantur et vastant; vt proprijs formis spoliata suis naturis subdant. In rebus autem mixtis & inanimatis, hoc non ita sensui patet; sed tamen sub rationis suam aciem in naturas rerum diligenter intendentis aspectum non difficilè incurrit. Quis enim non videt res propter perpetuam quatuor qualitatum actionem & pugnam, continuò interire & oriri? Quis etiam vel mediocriter Philosophiæ præceptis tinctus ignorat, nullam rem in nihilum redigi posse naturaliter? Sicut enim natura ex nihilo nihil facere; sic nil quicquam in nihilum redigere potest. Itaq; cùm res aliqua ab alia re à se diuersa & in se imperium obtinente contrarias qualitates recipit, illarumq; impetum sustinere, nec eas à se repellere potest; tandem magnis impreßionibus fracta & debilitata, ex domicilio suæ speciei migrare cogitur in victricis formæ potestatem & naturam. Cùm enim qualitates ex vno subiecto in aliud migrare non poßint, cum accidentis eße, non sit aliud ab eße substantiæ; sed tantùm hoc ab illa differat, quòd sit illius modus illi inhærens; consequens profectò est, vt quæcunq; res alterius rei qualitates, depositis proprijs susceperit; eius quoq; substantiam & formam suscipiat neceße est. Sic itaq; quælibet res conatur sibi efficere simile. Nam et illa quæ se ab alterius iniurijs vindicat, se tuendo defendendoq; suas qualitates

vim sibi

vim sibi inferenti imprimit. Pugnant enim semper qualitates inter se. Itaque quælibet res, quantumuis minima aliam in se conuertere nititur, illiusq́; materia, veluti quadam præda, suæ naturæ ditionem imperiumq́; dilatare. Quòd si actiones suas ad sibi præstitum finem perducere non potest; hoc non illius naturæ; sed virium imbecillitati est tribuendum. Sed tamen nulla res est, quæ tametsi propter suam tenuitatem rerum aliarum formas sibi repugnantes vincere non possit, easq́; è suæ materiæ dominio expellere; vbi tamen in sensum, in imaginationem ac cogitationem incurrerit, speciem suam & similitudinem, in illorum cognoscendi potentia non produceret. Quis enim est tam exiguus puluisculus, qui sensibus obiectus, ac in imaginationem intellectumq́; delatus sua specie et forma, tàm imaginationem, quàm intellectum possibilem non indueret? Quod ideò fit, quia nec sensus, nec imaginatio, nec intellectus suæ essentiæ & existendi modo, cuius natura est seipsum cum alijs communicare, non resistunt. Ergo si se tam faciles aliarum rerum naturæ, quemadmodum sensus, imaginatio & intellectus, exiguo puluisculo præberent; in illarum quoque materiam suam formam & speciem traduceret. Manifestum est igitur, omnem actum & omne illud quod existit, agere; et agere nihil aliud esse, quàm se communicare. Patet et illud, quo aliquid præstantius est

maiorię; virtute septum, eò faciliùs alia ad suam similitudinem effingere. Itaq; prima propositio Syllogismi nostri clarissima est facta.

Alteram verò propositionem an probare necesse est? Reperieturne aliquis tam inops mentis & rationis, qui cùm aspexerit cœlum, hancq; tàm admirabilem orbis machinam oculis lustrauerit, Deum esse nō sentiat? Reperietur quidem, sed is erit, quemadmodum Regius Propheta dicit, insipiens: DIXIT INSIPIENS IN CORDE, NON EST DEVS. At nullus sapiens reperietur, qui hoc dicat aut sentiat. Non id dicet Socrates, non Plato, non Aristoteles neq; alij doctrina & sapientia excellentes viri. Quin etiam & ipse insipiens has ineptias à ratione abhorrentes non ore; sed corde solùm enunciabit? Refutaretur enim omnium gentium disciplina, lege & moribus: ab Atheniensibus verò, qui hoc scelus non ratione, sed pœna coërcendum esse putauerunt, etiam supplicio afficeretur. Sed quo quis sapientior est, hoc præclariora de Deo eiusq; natura & sensit & dixit. Vt interim alios studio breuitatis prætereeam; Aristoteles certè, non solùm DEum existere asseuerat; verùmetiam omnia ita ab illo dependere; vt faciliùs mundus sine Sole, quàm ea omnia, quæ sunt in vniuerso sine Deo esse possint. Ad hunc omnium rerum procreationem, earùmq; admirabilem ordinem et gubernationem

bernationem. splendorem & ornatum refert. Hunc euidenti & firma ratione ab omni materiæ concretione vindicat, appellat actum purum, omnis penitus compositionis expertem, simplicissimum, virtutis summæ, intelligentem, optimum, omniaq; intellectu & voluntate regentem & moderantem. Verùm ea in re stabilienda, ita rationibus & argumentis abundamus; vt tantorum virorum testimonio minimè opus habeamus. Possem ego hoc loco eas rationes afferre, ex quibus DEum Opt. Max. non solùm actum esse; sed etiam esse actum simplicissimum & virtute immensa infinitáq; præditum, sapientibus viris non minus constaret, quàm Stellas & Astra lucere. Sed ea sunt mihi omittenda, ne nimiùm ab instituto, orationis meæ cursum deflectere videar: in qua cum illis est mihi certamen, qui Deum quidem existere & esse simplicissimum actum fatentur; sed in illius vna & simplicissima natura plures personas existere, hoc verò à ratione abhorrere, & cum ea repugnare vehementer arbitrantur.

Sic igitur secunda propositione Syllogismi nostri cõstituta, qua Deus actus esse, seu res in natura cohærens dicitur; an non sequitur necessariò, illum suam naturam quantum est in ipso alteri impertiri, eamq; cum alio communicare; præsertim cùm prima propositio syllogismi, qua imponitur necessitas cuiq; rei in

naturæ cohærentis, quantum eſt in ipſa ſe ſe alijs impertiendi; utq; res quò eſt præſtantior excellentiorq́; hoc magis in eo tuendo exequendoq́; officio naturæ pareat, ita firmis ac perſpicuis rationibus ſit comprobata; vt contrà eam venire nemo niſi temerè & imperitè poſsit. Probatum igitur eſt Deum Opt. Max. qui eſt puriſsimus & ſimpliciſsimus actus, quantum in ipſo eſt ſe ipſum alteri impertiri ſuamq́; naturam cum eo cōmunicare. Porrò cum Dei infinita ſit virtus et natura, & nihil eſt, quod impediat illum, quo minus totam ſuam naturam alteri impertiatur; infinitam igitur virtutem & naturam alteri impertietur cum illoq́; communicabit. Hæc tota ratiocinatio eſt clara & euidens. Cui hæc altera perſpicuitate & euidentia non cedit. Cùm ea res, quæ habet infinitam virtutem & naturam, DEus ſit; igitur res ea, cum qua communicata eſt infinita virtus et natura, Deus eſt. Atqui immenſæ virtutis Dei, non niſi vna natura eſſe poteſt. Neq; enim plures vna infinitæ virtutis naturæ eſſe poſsunt: quemadmodum nec plures vno primi agentes; ſed vnum tantum eſt primum agens: cuius virtute et ſapientia totius vniuerſi natura admirabili ordine eſt conſtituta. Ergo DEus ita ſuam naturam cum altero communicat; vt vna ſit natura vtriusq;. Itaq; ſi ſpectes naturam, et communicans & ille cui natura diuina communicatione eſt tributa

ſunt vnum, ſi perſonas, plures. Alius enim eſt, qui communicat aliquid, alius cui aliquid productionis communicatione eſt tributum, cum eoq; communicatum: cùm ille ſit producens; hic verò productus: quæ duo re inter ſe differre iam ante oſtenſum eſt. Quid clarius? quid ad rationem accomodatius?

Expecto quid iſti reſpondeant, qui Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium, ideò ſtultè repudiarunt, quòd illis cum ratione pugnare videatur. An primam propoſitionem negabunt, nempe; naturam cuiuslibet actus eſſe ſe ipſum quantum fieri poteſt communicare? At hæc ita eſt probata; vt à nemine reijci poſſit, niſi illis reiectis quæ cum ſumma ratione conſentiunt. An negabunt ſecundam propoſitionem: nimirum Deum actum eſſe? At hoc negare, eſt Deum è medio vniuerſi tollere. Quid igitur? An conceſſis duabus his propoſitionibus, tertiam quæ ex his neceſſariò infertur, nimirum, DEum ſe communicare, reijcere audebunt? At ea ratione regulam rectæ conſecutionis, in qua ſuas ineptias fundatas arbitrantur, ex ipſius rationis viſceribus tollent atq; extrahent radicitus. Cùm igitur & hoc tertium negare non poſſunt; reliquum eſt vt dicant, DEum totam ſuam naturam alteri impertiri cum eoq; communicare non poſſe, eò quod impediatur. Sed à quo obſecro impeditur? Eſtne aliquid Deo magnificentius aut illuſtrius? Atqui

res omnis

res omnis præstantior & potentior est ea, quam in agendo impedire & retardare potest, illiusq; actionibus modum statuere & imponere. Vltimum est quod isti dicere possunt. Nihil quidem DEum in agendo impedire posse, verùm officium & munus se se cōmunicandi impertiendiq; illius excellenti naturæ repugnare. Quomodo enim se poterit communicare impertiriq; Deus, cuius natura infinita vna esse debet? Atqui cōmunicantis ac se impertientis & illius cui communicatione aliquid est tributum, duæ sunt naturæ numero distinctæ. Quàm belli Philosophi, qui illud quod in rebus materialibus non inueniunt, de excellentissima quoq; natura diuina detrahendum esse existimant. Insulsè satis. Quid enim? an quia bos non ratiocinatur; ideò homo non ratiocinabitur? aut quia aquæ supernatātis leuis bulla facili aura rumpitur; ideò intelligentia immortali felicitate carebit? Homo verò, inquies, semper ratione potietur, licet bos solùm mugiat; & intelligentiæ æuo sempiterno perfruentur, quamuis millies bulla à leuissimo vento euanescat. Hæc igitur tibi absurda videntur. Atqui præstaret ad ignorantiæ maculam eluendam, hæc absona de homine & intelligentijs inepta consecutione admittere; quàm DEum præpotentem ob rerum materialium imperfectionem ea dignitate mouere, qua vnam numero in pluribus hypostasibus retinet naturam.

rum. Multò enim magis infinitæ virtutis præstantia excellentiaq; Deum Opt. Max. à rerum creatarum imperfectione remouit; quàm vel bouis natura, vel bullæ fragilitas, hominis & intelligentiarum præstantia superatur. Atq; vt hoc meliùs intelligamus, consideremus parumper Dei ex ea parte excellentiam, qua vna numero natura in pluribus hypostasibus consistit. In quo duo sunt præcipuè consideranda, quibus diuina natura à formis materialibus discrepat. Alterum est formas materiales non esse consistentes, hoc est seipsis non consistere. Aliud enim est humanitas, seu humana natura, aliud homo. At diuina natura est consistens idemq; est diuinitas & Deus. Alterum est nullam formam creatam esse suum existere; id est aliud est quo existit natura cuiusq; rei creatæ; quàm est eius natura & essentia. Ac inter existere quidem & naturam ac essentiam diuinam nullum esse discrimen; sed vtrunq; vnum & idem esse perspicuum est, nullaq; opus habet probatione. Hoc enim discrimen, infinita virtute immensaq; Dei natura sublatum est. Quòd autem formæ naturales non sint consistentes, ex eo planum est, quòd natura cuiusq; formæ materialis non consistat, nisi in aliquo singulari. Quis enim aliquando vidit humanam naturam, non in aliquo indiuiduo singulari consistere? Et tamen certum est naturam

humanam non esse idem, quod est hoc vel illud singulare humanæ naturæ. Cùm enim naturæ humanæ sit vna definitio; natura quoque humana sit vna necesse est. Nam definitio cum definito retro comeare debet; ita vt quod sit definitio, illud quoq; ipsum sit definitum, nec plura aut pauciora definitio sumat, quàm rei definitæ natura contineat. Ex his igitur perspicuum est, vnam tantùm esse naturam humanam. Atqui humanæ naturæ singularia sunt multa. Sunt enim innumeri homines, quibus tamen omnibus, naturæ humanæ definitio æquè conuenit. Cùm autem vnum & multa, idem & vnum esse non possunt; sequitur profectò necessariò, naturam humanam quæ vna est, cum suis singularibus, quorum infinitus est numerus, vnum et idem esse non posse. Præterea, naturam humanam, in vno quoq; homine totam esse constat. Quilibet enim homo est animal rationis particeps: quibus verbis totius humanæ naturæ definitio & ratio est comprehensa. At verò omnia singularia naturæ hominis, non sunt in quolibet homine. imò nullum singulare est in alio singulari. Neq; enim Ioannes est Aristoteles, nec Aristoteles Ioannes, aut Plato. Et tñ eadem natura humana est in Ioanne, quæ in Aristotele, aut Platone fuit. Nam sicut Aristoteles, verè fuit homo; ita Ioannes est verè homo. Cùm itaq; natura humana, et quæcunq; alia forma ma-

ma ma-

ma materialis, cuius plura sunt singularia, non existat sine suo singulari; & tamen non sit idem, quod est hoc vel illud singulare; sequitur profectò nullam formam & naturam materialem esse consistentem. Atq; ex his etiam non est difficilè colligere, naturas materiales non esse idem, quòd est suum existere. Humana enim natura non existit sine singulari. Itaq; si non erit hoc vel illud singulare, non existet humana natura. Atqui ostensum est naturam non esse hoc vel illud singulare. Cùm itaq; non sit idem, quod est suum singulare; non est quoq; idem, quod est suum existere: hoc est, non est idem cum sua consistendi potestate. Hæc, vt opinor, sunt clara. Verùm & ista, quæ ex his sequuntur, clara erunt, & cum ratione cohærentia. Primò enim ex ijs sequitur: aliquid esse in ea re in quam productionis communicatione forma collata est, quod eadem forma communicata non habet. Si enim formæ communicatæ consistunt in alio, hoc est in suo singulari, & per se consistere non possunt; consequens est in ea re, cui productionis communicatione forma est tributa, esse aliquid aliud, propter quod forma & natura consistendi potestatem & locum accepit: & hoc est materia determinata, quæ formis et naturis materialibus substernitur, ad eorum potestatem consistendi, aut, si magis placet verbum à Philosophis receptum, existentiam efficiendam.

Deinde ex his sequitur, naturam & formam materialem, quatenus in diuersis suppositis est, diuersa habere esse, diuersasq; existendi potestates. Quia enim natura non est illud, quod est suum existere; sed in hac vniuersitate consistendi locum inde habet, quòd in alio suscipiatur; ideò cùm in diuersis recipitur, necessariò diuersa esse habet. Vnde accidit, naturam humanam secundùm existēdi potestatem non esse vnam in Platone & Aristotele: quamuis sit vna secundùm propriam rationem & definitionem. Quia enim alius est à Platone Aristoteles, & ex eo natura humana habet existendi potestatem, quòd in illis suscipiatur; eamobrem in vtroq; diuersum existere habet necessariò, ad eorumq; numerum suam multiplicat existendi potestatem. Sicut è contrariò, quia eadem natura humana, nō ex susceptione à diuersis suppositis & suis singularibus habet, vt sit animal rationis particeps; sed ex seipsa, ideò ex eorum diuersa ac multiplici susceptione, in suæ naturæ ratione & definitione diuersitatem non contrahit, nec aliquem numerum: sed licet sit in diuersis, vnam tamen ipsa habet definitionem. Quis igitur iam non intelligit ad præstantiam diuinæ naturæ pertinere; vt secundùm esse suum tàm in communicante, quàm in eo cum quo est communicata sit vna. Si enim negatio est causa negationis; affirmatio erit causa affirmationis. *Sic*

enim & Aristoteles & ratio ipsa docent. Atqui forma & natura materialis, quia non est consistens; ideò in eo cum quo cõmunicatur non est illud ipsum, propter quod eadem forma & natura existentiam recipit: & quia non est suum esse; ideò non est vna secundùm esse in pluribus hypostasibus. Ergo quia natura diuina est consistens; ideò in eo cum quo communicatur, est illud ipsum, propter quod eadem natura diuina consistendi potestatem & locum habet; & quia est suum esse; ideò secundùm esse in pluribus hypostasibus vna reperiri debet. O miram vim veritatis, miram prorsus & incredibilem, cuius lumen cinctum tenebris tam densis, ab omni tamen parte emicat interdũ, & splendidissimo candore, quasi fulgur ex medijs nubibus lumen exerit suum! Nihil iam dicam ampliùs, & ea quæ subiungenda erant omittam: quandoquidem id cum ratione conuenire clarissimè ostendi, quod aduersarij cum ratione pugnare arbitrantur: & propter quod & Deo Patri veram & generationis & amoris rationem, & Filio & Spiritui sancto diuinitatem, homines in omnem audaciam & impietatem proiecti non dubitant subtrahendam esse. Hoc enim est, quod vel maximè illorum torquet ingenium. Hoc est, quod illorum rationem tenui rerum cognitione nixam, perplexam efficit, ac sua difficultate, veluti quodam Cyrceo poculo in rabiem & insaniam vertit.

Cùm enim totam hanc orbis machinam intuentur, ac in omnibus illius regionibus & angulis omnibus, nullam eiusmodi naturam & formam materialem inueniunt, quæ in pluribus hypostasibus, secundùm vnum & idem esse, & secundùm eandem rem existat; omnino illis hoc altissimum & sanctissimum mysterium cũ ratione pugnare videtur, quo vnam naturam diuinam, secundùm vnum et idem esse, et secundùm eandem rem in tribus hypostasibus esse constantissimè affirmamus. Sed quis est iam obsecro, qui cùm vel hoc vnum discrimen, quo formas et naturas materiales à diuina natura seiunximus, probè intellexit, non intellexit simul hanc communicationem admirabilem, qua vna natura secundùm vnum et idem esse, in pluribus hypostasibus existit, vt naturis materialibus repugnare; ita diuinæ & increatæ naturæ conuenire? Æquidem ita apud me statuo hanc tertiam rationem, & alias duas ante explicatas, nobis à natura tanquam aliquam lucem esse donatas, in qua Sanctissimæ Trinitatis arcanum clariùs aspicere possemus; vt inter alias rationes hæ etiam mihi esse videantur, quæ summos illos & eruditionis laude clarissimos Philosophos, tametsi nulla sapientia Christiana imbutos, in aliquam tamen Sanctissimæ Trinitatis cognitionem induxerunt. Ex quorum numero fuit ille omnium gentium ore celeberrimus vir Mercurius

curius Ægiptius, quem Trismegistum appellatum fuisse ferunt: qui diuinitatem vnam in triplici hypostasi esse tradidit, ac eiusmodi sententijs suos refersit sermones, quæ cum vera religione mirificè consentiunt. Ex eorum quoq; numero fuerunt Zeroastes et Chaldæi, qui, vt Psellus Philosophus & Christianus est author, de Patre & Filio aliquid tradiderunt. Tales et illi Ægiptiorum sapientes fuerunt, qui cùm Deum tenebras ignotas appellarent, ter hoc erant acclamare soliti, ad trinam hypostasim designandam. Talis & ille fuit Orpheus Poëta, qui, vt Iustinus Martyr testatur, cognouit DEi Filium effectorem mundi fuisse, ac in suis hymnis non pauca de Patre & Filio sapienter cecinit. Talis fuit & ille diuinus Plato, in cuius libris bonam partem diuinitùs nobis traditæ doctrinæ mirabiliter expressam esse, D. Augustinus affirmat. Tanta est veritatis vis, tanta solidæ eruditionis & sapientiæ præstantia; vt illis clarissimis Philosophis ea religionis nostræ dogmata cum ratione consentire videantur, quæ hæretici et aduersarij nostri summa contentione cum ratione pugnare nō minus impiè, quàm insipienter affirmare non verentur.

Verùm si rationis humanæ tanta vis est, quanta erit illius luminis, quod Spiritus sanctus de sua immēsa claritate in Christianorum pectora effudit? Sic enim existimare debetis, nunquam neque in Syria Chaldeos astro-

os astrorum cognitione præstantes, neque Persarum magos ingeniorum celebritate nobiles, neque sacerdotes Ægiptiorum tot antiquissimis literarum monumẽtis abundantes, neque Bactrianorum Semaneos, aut Gymnosophistas Indorum tam incredibili discendi studio flagrantes, neq; Druides Gallorum insignes tot annorum disciplina, neq; Græcorum sapientes omnium artium instructos præsidijs, neq; Latinorum doctores omnium propè gentium literis et præceptis perpolitos vllis vnquam opibus rationis humanæ tantam lucem diuinitatis, & trium in vna natura diuina personarum aspicere potuisse, in quanta nos Christiani diuinitùs inspirata doctrina, eruditi & instructi versamur.

Neque verò hoc ita accipiendum est, quasi ea diuina lux, qua Deus Opt. Max. Ecclesiæ suæ doctorum mentes illustrat, in eo solùm consistat; vt ijs omnibus quæ Deus vniuerso patefecit orbi firmissimè adhæreant; sed etiam hoc præstat, vt tam admirabili luce circumfusi in naturæ obscuritate multa perspiciant, ad quorum cognitionem illi excellentes viri, solis ingenij et naturæ opibus freti aspirare nunquam potuerunt. Si enim Sol hic clarissimus id efficere potest, vt etiam minutissimas atomos in illius luce videamus; quid mirum si admirabile diuinum lumen, quòd DEus de immensa sua sapientia in mentes Do-

ctorum

ctorum Ecclesiæ iecit, eam vim & naturæ humanæ conferat, & simul ita ex naturæ rebus obscuritatem depellat tenebrasq; disijciat; vt non solùm multò meliùs quàm ante intelligant omnia; verumetiam ex eorum cognitione, tanquam quibusdam gradibus, ad eam sapientiæ & cognitionis dignitatem ascendant, ex qua sempiternam Dei virtutem & sapientiam multò meliùs & exactiùs, quàm reliqui omnes mortales intelligant, & quasi cum Sancto Paulo in tertium cœlum, vbi ea vident quæ non licet homini loqui, inferant caput. Quòd si illi dementes putandi sunt, qui cùm eas rationes, quibus sapientes viri Solem terra maiorem esse concluserunt, non intelligunt, rationi id obstare contendunt; multò profectò sunt illis dementiores, qui cùm vel propter ingenij tarditatem, vel propter exiguum et vulgare in ediscendis Philosophiæ artibus studium, aliquid arduum & difficilè non intelligunt, illud ipsum sapientissimos quosq; viros & diuini numinis luce collustratos non intelligere, imò cum ratione ipsa eos dimicare, certo sibi persuadent. Verùm si illi stulti habendi sunt et inepti; isti, qui, propter istorum hominum voces, de sapientissimorum quorumq; & totius Christi Ecclesiæ, quam Deus in admirabile lumen suæ sapientiæ euexit, sententia, se dimoueri patiuntur, quo nomine appellandi sunt, vos ipsi iudicate. At quorum hominum? Eorumne,

rumne, quos vel ſapientiæ aut alicuius ſanctitatis inſignis laus aliquando commendauit? Minimè verò: ſed eorum qui, vt alia taceam, vel totam ſuam ætatem in mechanicis artibus contriuerunt, vel ſola latinitate, & ſcientia mediocri, aut nulla, labra tinxerunt ſua. Quid? quod plurimi ipſorum libenter fatentur, ſe nullis Philoſophiæ præceptis eſſe inſtitutos? Ita fit, vt hoc noſtro infelici tempore eam abominandam hæreſim homines rudes & ignari tueantur, quam olim non nisi Philoſophia imbuti defendebant, & quam Arius ipſe ex Philoſophiæ malè intellectis principijs excitauit. Quod malum iſta dementia? Iſti rationibus naturæ, à Sanctorum Patrum & Christi Eccleſiæ, de Sanctiſsima Trinitate ſententia homines noſtros deduxerunt, qui ſe ipſius naturæ rationes ignorare profitentur. Dicunt cum ratione naturæ, de Sanctiſsima Trinitate doctrinam pugnare; & tamen ipſius naturæ rationes ſe ignorare gloriantur. Si hoc non eſt extrema dementia & cæca temeritas, quid erit aliud? Quid igitur? an non in ijsdem periculis verſantur, in quibus ſunt illi homines, qui ſine velis, ſine remis, ſtulto & imperito nauta gubernante nauim, multis dehiſcentem rimis, intempeſta & obſcura nocte, in alto & turbulento mari maximis agitantur fluctibus & procellis? Atq; vtinam non maiora illos maneant mala, qui Filium Dei in tam acerbam prouocarunt

uocarunt iram, qui Spiritus Sancti, in quem scelus cõmissum neq; in hac, neq; in futura condonatur vita, tantum in se odium concitarunt. Verùm ne in illorum ruinis exultare videar, quorum menti & rationi tantum vulnus inflictum esse doleo, illum solùm dicam: Deum Opt. Max. ante illis mentem & rationem adimere solitum, quos aliquo insigni supplicio cruciandos designauit. Quod autem aliquando pœnas & intenta damna in longiùs differat tempus; hoc non ad tollendum minuendumq; malum pertinet; sed ad multiplicandum magnisq; augendum incrementis.

DIXI.

Laus Deo.

 Ex trigin-

EX TRIGINTA OCTO SACRARVM LITERARVM TESTIMONIIS, A me in disputatione pro diuinitate Filij & Spiritus Sancti prolatis, octo explicata testimonia.

I. TESTIMONIVM *pro diuinitate Filij, ex Euan. Ioan. Ca: j*

IN PRINCIPIO ERAT VERbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. *Ex hoc testimonio, vt res clarissima appareat, ita ratiocinabor. Verbum quod erat in principio apud Deum, est Deus. Hæc propositio est D. Ioannis. At Christus est hoc ipsum verbum, quod erat in principio apud Deum. Ergo CHRIstus DEus est. Quòd autem CHRIstus sit hoc ipsum verbum, quod erat in principio apud Deum, ex eodem testimonio Ioannis perspicuum est. Proferam totum Ioannis testimonium.* Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis. Ioannes testimonium perhibet de ipso & clamat dicens: Hic est quem dixi, qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat: & de plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Quia lex per Moysen data est; gratia

est; gratia & veritas per IESVM CHRIstum facta est. *Vides igitur Christum hoc ipsum verbum esse, quod erat in principio apud Deum. Ioannes, inquit Euangelista, testimonium perhibet de ipso & clamat dicēs:* Hic est quem dixi, qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat. *Hoc testimonium Ioannis, est de verbo, vt tu ipsemet vides. Atqui hoc ipsum testimonium CHRIsto accommodat IOannes. Nam in eodem Capite ita habet.* Altera die vidit Ioannes IEsum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; hic est de quo dixit: Post me venit vir qui ante me factus est, quia prior me erat. *Ex his igitur an non luce clariùs patet; illud ipsum verbum, quod caro factum est, CHRIstum appellari à D. Ioanne? In hoc Ioannis testimonio, tanquam in clarissima luce, Cherintum, Ebionem, Paulum Samosatenum, & Photinum vehementer insanire perspicuum est omnibus, qui CHRIstum primùm initium habuisse aiunt, cùm est ex Maria virgine procreatus. Verbum enim, quod idem est, quod CHRIstus, in principio erat apud Deum. Ergo verbum & CHRIstus non primum ex vtero virginis initium accepit. Deinde disertis verbis, inquit Ioannes:* omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. *Si nihil factum est sine ipso; ergo ante creationem mundi, fuit necessariò. Torquet hic*

quet hic locus Samosatenicos & Ebionitas nostros; malunt tñ ineptè respondere, quàm tacendo consentire. Dicunt hæc verba Ioannis: Omnia per ipsum facta sunt, *non ad creationis, sed ad redemptionis opus referenda esse. Quæ interpretatio quam benè cum Euangelio cohæreat, quis non intelligit? Neq; enim redemptionis fructum, ad res inanimas et ratione carentes; sed solùm ad ratione et mente præditas retulit Christus.* Qui crediderit, inquit, & baptisatus fuerit, saluus erit. *Ergo isti qui infantes baptismatis aqua tingere nolunt, lapides & bruta animantia baptisabunt? Hæc enim omnia sunt aliquid; & non sunt nihil. Atqui Ioannes disertis verbis testatur, omnia per ipsum facta esse & sine ipso factum esse nihil, quod factum est. Arius, vt in tàm clara luce prudentiùs cœcutire videatur, non ideò CHRIstum DEum esse negat, quòd ex vtero virginis initium acceperit, quinetiam DEum esse concedit, victus tàm claro Ioannis testimonio; sed non ideò DEum appellari, quòd ipsam Dei essentiam & diuinitatem habeat; sed vel propter voluntatum conspirationem & vnum consensum, vel propter quandam excellentioris naturæ, qua illum inter omnes res creatas extulit Deus, præstantiam. Quod quidem Arij commentum, quàm sit falsum & à diuinis literis alienum, ex alijs testimonijs diuinarum literarum patebit.*

II Testi-

60

II TESTIMONIVM ex cap. Ioan. 16. & 17.

QVICVNQVE habet ea omnia, quæ DEus Pater habet, habet etiam diuinitatem. DEus enim Pater habet diuinitatem. At Christus ea omnia habet, quæ Deus Pater habet. Ioan: 16. Omnia quæ habet Pater, mea sunt. *et Ioanis* 17. *ad Patrem loquens ait:* Mea omnia tua sunt, et tua omnia mea sunt. *Igitur Christus habet diuinitatem. Non ergo propter solam voluntatum conspirationem, vel propter excellentis naturæ præstantiam; sed propter eam, quam habet diuinitatem, dicitur DEVS.*

III. TESTIMONIVM. ex Epistola Pauli ad Philip. Ca: 2.

HOC sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui, cùm in forma DEI esset, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit formā serui accipiens. *His verbis Paulum IESV Christo naturam Dei tribuere, his quatuor Syllogismis, quorum propositiones ex diuinis literis firmitatem & robur habent, clarè demonstrabo.*

Syllogismus

Syllogiſmus I.

Quicunque Dei formam habet; naturam Dei habet. At Chriſtus formam Dei habet. Ergo Chriſtus naturam Dei habet.

Maior propoſitio huius Syllogiſmi eſt per ſe clariſsima. Quemadmodum enim qui animam rationalem habet, quæ hominis forma eſt, habet naturam hominis; ita qui formam DEI habet, habet naturam Dei. Quòd ſi ille qui habet formam Dei, naturam Dei non habet; ergo ille qui formam Dei non habet, naturam Dei habet. Contradictoriæ enim oppoſitionis, ſemper altera eſt vera altera falſa, quemadmodum docet Ariſt. & Logici omnes. Itaq; DEus qui formam Dei habet, non habebit naturam Dei; creaturæ autem, quæ non habent formam Dei, naturam Dei habebunt. Quòd ſi hoc falſum eſt; falſa & illa erit propoſitio, ex qua hoc ipſum ſequitur: nempe iſta: Qui formam Dei habet, naturam Dei non habet. Quare contradicens illi propoſitio erit vera: nimirum hæc: Qui formam Dei habet, naturam Dei habet. Maior itaq; propoſitio huius primi Syllogiſmi eſt clariſsima. Minorem fortè Arius negabit. Dicet enim illam formam Dei, quam CHRIſto Paulus tribuit, non eſſe verè formam Dei; ſed quandam ſimilitudinem formæ diuinæ, & proinde formam Dei appellari

appellari. Primò, hoc eſt torquere in alienos ſenſus Pauli teſtimonium; non autem illud ad ſuum ſtabiliendum propoſitum accommodare. Si enim Paulus formam Dei CHriſto tribuit; cur tu formam DEi, Chriſto negas, & in illius locum ſimilitudinem formæ diuinæ ſubſtituis? Tua igitur ſimilitudo eſt; Pauli autem forma Dei eſt, in qua CHRIſtum eſſe apertiſsimè confitetur. Deinde talis interpretatio pugnat cum ſenſu Pauli. Quòd enim Paulus per formam Dei intelligat, ipſam naturam Dei; non autem ſimilitudinem naturæ diuinæ, hoc ſecundo Syllogiſmo demonſtrabo.

Syllogiſmus II.

Qui ita habet formam Dei, vt illa forma nulla ratione poſsit dici forma ſerui, habet naturam Dei. At Chriſtus ita habet formam dei, vt nulla ratione poſsit dici forma ſerui. Ergo Chriſtus habet naturam Dei.

Huius ſecundi Syllogiſmi Maiorem propoſitionem probo hoc tertio Syllogiſmo.

Syllogiſmus III.

Omnis forma increata eſt natura Dei. At forma Dei, quæ ita eſt Dei, vt nulla ratione ſit ſerui, eſt increata. Ergo forma

Dei, quæ ita est Dei, vt nulla ratione sit serui, est natura Dei.

Huius tertij Syllogismi prima propositio est clarissima. Omnes enim formæ præter diuinam sunt creatæ. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factũ est nihil. *Minor autem propositio ex eo probatur, quòd Deus sit conditor vniuersi. Porrò cùm Deus, literarum diuinarum testimonio, eorum omnium quæ condidit, sit dominus; consequens profectò est, omnis rei conditæ formam, esse formam serui. Nisi enim aliqua rei conditæ forma, non esset forma serui; Deus vniuersi dominus non esset. Verùm ea in re laborare non est necesse. Exstant enim in vtramq; partem sacrarum literarum expressa testimonia. In libro Iudith ca: 9. ita habetur:* Deus cœlorum, creator aquarũ, & dominus totius creaturę. *Capite autem* 16. *eiusdem libri ita scriptum legimus:* Tibi seruiat omnis creatura tua: quia dixisti & facta sunt. *Cùm igitur omnis forma creata, sit forma serui, et omnis forma serui, sit forma creata; consequens profectò est, formam non serui, esse increatam.*

Minorem propositionem secundi Syllogismi, hæc enim sola probanda restat, hoc quarto Syllogismo Expositorio confirmabo.

Syllogismus IIII.

CHristus cùm formam serui habuit, tunc primùm

primùm se exinaniuit. Sed cùm tantùm in forma Dei esset, non se exinaniuit. Ergo cùm tantùm in forma Dei esset, formam serui non habuit.

Et Maior & Minor propositio huius quarti Syllogismi, hoc vnico Pauli verbo abundè satis probatur: Exinaniuit se ipsum formam serui accipiens. *Si enim formam serui accipiens se exinaniuit; ergo formam serui non accipiens, & quod inde sequitur non habens, se non exinaniuit. Nam ante formam serui habere non potuit, quàm eam accepisset. At formam serui primùm accepit, cùm habitu inuentus est vt homo. Ante incarnationem enim erat æqualis Deo.* Qui cùm in forma Dei esset, *inquit Apostolus,* non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo. *Cæterum nulla res habens formam serui, quatenus habet formam serui, potest esse æqualis Deo.* Quis, *inquit Dominus apud Isaiam cap* 44. similis mei? Vocet & annunciet, & ordinem exponat mihi? *et Micheæ* 7. Quis Deus similis tui? *Ex quo necessariò sequitur, Christum ante conditum mundum,* (Omnia *enim* per ipsum facta sunt) *quo tempore erat æqualis Deo, non se exinaniuisse. Ex hoc autem necessariò sequitur, CHristum cùm in forma Dei esset, formam serui non habuisse, et quod idem est, ita formam Dei habuisse; vt formam serui non habuerit. Atqui tertio Syllo-*

tio Syllogismo conclusum est, formam Dei, quæ ita est Dei; vt non sit serui, esse naturam Dei. Quid ergo? an non ex his necessariò infertur; CHRistum naturam Dei habere? Neq; enim accipiẽdo formam serui, forma diuina se spoliauit, aut spoliare potuit. Ego *inquit*, Deus & non mutor.

IIII. TESTIMONIVM. ex Pauli Epistola ad Colossen. Cap. j.

IN quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum, qui est imago Dei inuisibilis. *Hoc etiam Paulus testimonio docet, Christum eam formam Dei habere, quæ increata est; non autem aliqua similitudo creata. Quod quidem Pauli testimoniũ ita clarum erit, si illud primùm constituamus: Nullam rem creatam substantiam dei repræsentare posse. dico autem dei substantiam. Nam quòd Deus sit, & quòd sit sempiterna illius virtus et diuinitas; intelligi potest ex rerum creatarum cognitione. Ad quod respiciens Paulus ait:* Videmus nunc per speculũ in ænigmate, tunc autẽ facie ad faciem. *et ad Rom:* I. Quod notũ est Dei, manifestũ est in illis. *Huc pertinet & illud Iob Cap.* 36. Omnes homines vident eum; sed vnusquisq. intuetur procul. *At verò, si essentiam Dei spectes, audi quid dicant diuinæ literæ. Ioan:* I. Deum nemo vidit vnquam.

Iob 36. Deus magnus vincens ſcientiam noſtram, numerus annorum eius inæſtimabilis, & *Cap.* 11. Forſitan veſtigia Dei comprehendes, & vſq. ad perfectum omnipotentem reperies? excelſior cœlo eſt, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces? longior terra menſura eius & latior mari. *Baruch Cap.* 3. Quis inueniet locum eius & quis intrauit in theſauros eius? *Hoc idem quod teſtimonio diuinarum literarum habemus, ratio ipſa nos docet. Non enim plura, quælibet res creata intellectui humano ad cognoſcendum offerre poteſt; quàm in illius natura continetur. Porrò, quicquid in ſubſtantia cuiusq; creatæ rei cernimus; id infinitis gradibus infra Dei ſubſtantiæ præſtantiam natura collocauit; adeò vt omnis res creata, comparata Dei ſubſtantiæ, ita diuina luce obſcuretur; vt appareat nihil. Quare cùm in rebus creatis perfectam imaginem Dei nō habeamus; nulla res creata cognitionem ſubſtātiæ Dei, in animo noſtro gignere poteſt. Longè diuerſum de Filio Dei Chriſto IEſu ſentiendum eſſe docet diuinus Paulus, cùm ait, eum eſſe imaginem inuiſibilis Dei. Neque verò talem imaginem Dei in Chriſto ponit Paulus, qualis eſt illa in* 2. *Capite Epiſtolæ* 1. *ad Corinth.* Sicut vir dicitur imago Dei. *Primò quia dicit eſſe imaginē inuiſibilis Dei. Quaſi diceret ex ea parte CHriſtus eſt imago Dei,*

qua à nulla creatura cognosci potest. Illud enim est inuisibile quod à nemine videri potest. Si enim ab aliquo videri posset, non inuisibile, sed visibile esset. Deinde hunc eundem CHristum Dominum perfectam imaginem esse, ipsam Dei substantiam representantem ipsemet Apostolus in I. *cap. Epistolæ ad Hebræos disertis verbis testatur:* Nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula, qui cùm sit splendor gloriæ & figura substantię eius. *Cùm igitur Christus sit figura substantiæ Dei; necessariò erit forma Dei & imago increata: quandoquidem nulla res creata imago substantiæ Dei esse possit. At quàm apposite Christum figuram & splendorem substantiæ Dei appellat? Ista enim duo, nos in rerum ducunt cognitionem. Splendor enim Solis res obscuras detegit, quæ alioqui tenebris obrutæ sensuum cognitionem fugiebant. Sine specie autem & figura rei cognoscendæ, nullius rei natura in nostram cognitionem venire potest. Vt igitur certò nobis constaret, Christum eiusmodi Dei imaginem esse, in qua substantia Dei cernitur, dixit eum esse figuram substantiæ Dei. Dixit præterea splendorem substantiæ Dei esse; vt intelligeremus illum eundem esse, in cuius lumine lumen illud, in cognitione cuius vitæ immortalis felicitas est constituta,*

stituta, nos visuros Propheta testatur: Et in lumine tuo videbimus lumen.

V. TESTIMONIVM. ex Euangelio Ioan: Cap. 5.

SIcut Pater habet vitam in semetipso; sic dedit & Filio vitam habere in semetipso. *Ex quo D. Ioannis testimonio sequitur, Christum esse Filium Dei increatum. Atq; vt planissimum fiat hanc consequentiam ex hoc Ioannis testimonio rectè esse deductã, ita ex eodem testimonio, adiuncto illi alio, Syllogismum constituam. Nulla res creata, neq; aliqui Filij Dei creati sunt perfectè similes Deo. Hanc propositionem veram esse ex Propheta didicimus. Nam de creatura, quam propter excellentem naturam nomine Filij Dei diuinæ literæ dignatæ sunt, ita dicit in Psalmo 89.* Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei? *Ac si diceret, nullus inter filios Dei creatos, quantumuis illi sint siue sanctitate vitæ admirabiles, quales sunt sancti & electi Dei, siue dignitate naturæ cæteris præstantiores, quales sunt cœlestes angelorum chori. Hos siquidem creatos esse nemini dubium esse potest.*

Nunc propositionem Minorem subiungamus. Atqui Christus Filius Dei, est perfectè similis Deo.

Sic enim D. Ioannes habet: Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo; ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo. *Si ita Chriſtus habet vitam, ſicut Deus Pater habet; ergo eſt perfectè ſimilis Deo. Quid enim? an angelis non dedit in ſemetipſis habere vitam? imò verò dedit.* Nam ſine ipſo factum eſt nihil. *Itaq; habet Deus vitam in ſemetipſo; habent & angeli vitam in ſemetipſis. Atqui duas res albedine tinctas, propter albedinem ſimiles dicimus, tametſi vna, altera ſit candidior. Quid igitur? an non eadem ratione propter vitam, angelos viuentes, Deo viuenti ſimiles dicemus? imò verò dicemus. Quia quamuis non ita habeant vitam, ſicut Deus habet, vitam tamen habent. Quid? quòd etiam ipſæ diuinæ literæ, non angelos ſolùm, ſed etiam homines, qui angelis ſunt multò inferiores Deo ſimiles eſſe confitentur:* Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: *Angelos autem Ezech: cap: 28. ſignaculum Dei appellat: quo nomine inſinuat clariùs diuinitatis ſimilitudinem, quàm eſt in hominibus, in eorum natura elucere. Cur igitur Regius Propheta etiã angelos negat Deo eſſe ſimiles? An neſciuit angelos habere vitam, propter quam Deo viuenti ſimiles eos diceret? Scilicet ille neſciuit qui cœleſtem illam regionem ita nobis depingit; vt non tam de ea audiuiſſe; quàm eam*
oculis

oculis conspexisse videatur. Non ergo Propheta diuinus, ideò angelos, & quamcunq; aliam creaturam, quòd non habeat vitam, negat Deo esse similem; sed quia non ita habet vitam; sicut Deus habet. Perspicuum itaq; est, hæc Prophetæ verba: Quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filijs Dei? *non de imperfecta similitudine, qualis est in omnibus creaturis; sed de perfecta, quæ in quadam æqualitate consistit, accipienda esse. Quemadmodum duo alba similia dicuntur; hoc tamen quod minus candidum est, non ita album esse dicitur, sicut illud, quod est candidius: atq; ita ex ea parte minus album candidiori simile non est. Quòd si ita album esset, sicut est alterum, an non simile alteri diceretur? Vt igitur Regius Propheta, his verbis angelis & cuicunq; quantumuis excellentissimæ creaturæ, Dei similitudinem negat; ita eisdem verbis CHristum, quem cum Ioanne sciebat ita vitam habere in semetipso, sicut Deus Pater in semetipso habet, esse Deo Patri similem confitetur. Si enim angeli ideò perfectè Deo similes esse non dicuntur, quia licet habeant vitam; non ita tamen habent, sicut Deus habet; ergo Christus, cui Deus ita in semetipso dedit habere vitam; sicut ipse in semetipsò habet, necessariò Deo similis esse dicendus erit. Quid sequitur? Christum non esse Filium Dei creatum. Hoc igitur quinto te-*

stimonio clarissimè demonstratur: Christum esse verum Deum non imperfectum, & creatum, quemadmodum Ariani impiè & falsò calumniantur; sed increatum, & perfectissimum: quandoquidem in eo Dei perfecta similitudo, quàm nulla res creata habere potest, reperiatur. Quamuis autem clarissimè ostendimus et Prophetæ et Ioannis testimonio, Christum perfectè Deo esse similem; sextum tamen testimonium non minùs clare hoc ipsum demonstrabit.

VI. TESTIMONIVM. ex Cap. 5. Euangelij Ioannis & 2 Cap. Epistolæ Pauli ad Philip.

QVærebant eum Iudæi interficere: quia non solum soluebat Sabbatum; sed & Patrem suum dicebat DEVM, æqualem se faciens Deo. *Et Paulus:* Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. *Quis non intelligit D. Ioannem & Paulum hoc tam clarò testimonio nullum ambigendi reliquisse locum, Christum verum & vnum Deum esse; creaturam non esse? Verùm vt oculi cornicum configantur, sic ratiocinabor:*

Nulla creatura Deo est æqualis. At Christus Deo est æqualis. Ergo Christus non est creatura.

Nec maior

Nec maior nec minor propositio negari potest ab aduersarijs; confixi igitur sunt oculi cornicum. Patet iam illos, non tàm non intelligere Christum verum Deum, & non creaturam esse; quàm animo irato et percito velle, ne Christus esset Deus, et in tam clara luce lucem tenebras, et tenebras lucẽ appellare. Quid enim? an aliquis maiorem propositionẽ negabit; dicetq; creaturam esse æqualem Deo? Atqui ipse Arius huius nefandi figmenti architectus, ideò CHristum contendit esse creaturam, quòd minor sit Patre? Pater inquit maior me est. Si ideò Ario Christus est creatura; quia est minor Patre; ergo si non est minor Patre, sed Patri æqualis, creatura non erit. Quòd si hac in parte dissentire vis ab Ario, ne tam cito vinctus et irretitus tenearis, illudq; quod concedit Arius tu negabis: dices, & dices ineptissimè, aliquam creaturam esse æqualem Deo. hoc tu quidem fortasse dices, cum tui similibus. At hoc non dicet sanctus Propheta. imò contrarium planè dicit: Quis inquit, in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei? Quod quidem de perfecta similitudine, quæ in æqualitate consistit, accipiendum esse, in quinto testimonio demonstratum est. Ad hæc, si creatura esset æqualis Deo; ergo esset natura immutabilis: Deus enim natura immutabilis est: ergo esset immensa & increata, quia Deus immensus & increatus est:

ergo à nullo dependeret, et omnia quæ non eßent ipsa ab ea dependerent. Hæc omnia à ratione sunt aliena: sed hoc vltimum longe alienißimum. Si enim creatura à nullo dependeret, & omnia quæ non est ipsa, ab ea dependerent; hac ratione profectò creatura eßet Deus, & Deus eßet creatura. Increata præterea eßet & immutabilis; Deus creatus & mutabilis. Hæc quis, præter insanum, dicet aut sentiet? Deus enim increatus est & immutabilis; creatura verò creata et mutabilis. Quod enim aliquando est, aliquando nõ est, mutabile est. Si autẽ creatura mutabilis est, si creata, si ab alio dependens; Deo profectò nulla ratione æqualis eße potest. Res enim immutabilis mutabili, increata creata, à nullo dependens, illa quæ sine altero eße non potest longè est præstantior excellentiorq́; hæc enim finita est; illa infinita. Finiti autẽ ad infinitum nulla proportio, nedũ æqualitas eße potest. Quis igitur maiorem propositionem negabit? nisi ille, qui est disciplina illius imbutus, & nefandi sceleris tabe infectus, illius inquam Angelorum superbißimi Luciferi, qui superbia intollerabili elatus, cùm ad æqualitatem Dei aspiraret, probèq́; compertum haberet, se nisi eßet infinitæ immensæq́; virtutis, æqualem Deo eße non poße, ita apud Isaiam Prophetam loquitur:
In cœlum a cendam super aſtra Dei, exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aqui-

bus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. *Nulla itaq; creatura, æqualis Deo esse potest. At Christus est æqualis Deo. Quis hoc inquies dicit? Ipsamet veritas apud D. Ioannem & Paulum:* Patrem suum *inquit Ioannes,* dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. *Et Paulus* Non rapinam, *inquit,* arbitratus est se esse æqualem Deo. *Rapina fuit Lucifero, se Deo æqualem facere: quamuis ille esset, qui attestante Isaia,* mane oriebatur, qui vulnerabat gentes, qui conturbauit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum, & vrbes eius destruxit. *Itaq; quamuis tantis ornamentis naturæ, quibus et ad suam, et ad aliorum perniciem est abusus, inter reliquas omnes creaturas, veluti sol inter astra, luceret, rapina tamen illi fuit se æqualem facere Deo. At Christo rapina non est, æqualem se facere Deo. Christus igitur creatura nõ est. Deus igitur est. Solus enim Deus increatus est: reliqua autem omnia præter vnum & verum Deum creatura sunt.* Omnia *enim, inquit Ioannes* per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.

At inquies ipsemet Christus apud Ioannem, se esse minorem Patre affirmat: Pater *inquit* maior me est. *Agnosco Christi vocem. Atqui etiam Christus ipse, apud eundem D. Ioannem, se Deo Patre non minorem; sed æqualem facit:* Dicebat *inquit,* se Fi-

lium Dei, æqualem se faciens Deo. *Verùm tu inquies, si minor est Patre quomodo Patri æqualis, & si æqualis Patri, quomodo minor? Audi Paulum ipsum has Christi voces interpretantem:* Qui cùm in forma Dei esset, *inquit Paulus*, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo; sed exinaniuit semet ipsum formam serui accipiens. *Ergo quatenus dei formã habet, æqualis patri est.* Cùm *enim* in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo. *Quatenus autem formam serui habet, minor Patre est.* Exinaniuit, *enim, inquit Paulus* semetipsum formam serui accipiens. *Non tàm igitur Athanasii; quàm ipsius D. Pauli, est ista verborum Christi interpretatio: Minor Patre secundùm humanitatem; æqualis Patri secundùm diuinitatem. Si igitur aduersarij dubitabunt ampliùs, Christum esse æqualem patri, ac proinde nõ esse Deũ, quid? an non hac ratione D. Ioannis & Pauli testimonium, quo Christum Deo Patri æqualem esse pronunciarunt, vocabunt in dubium? Hoc autem quid aliud est; quàm homines à vita ad interitum, ab Euangelio, ad dæmonum cultum reuocare?*

VII. TESTIMONIVM pro diuinitate Spiritus Sancti ex Isaiæ Prophetia Cap: 6.

Audiui

AVdiui vocem Dei dicentis: quem mittam & quis ibit nobis? Ecce ego; mitte me. & dixit: Vade: & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere, & videte visionem, & nolite cognoscere.

Ex hoc testimonio Isaiæ in Syllogismum reducto, Spiritum Sanctum esse DEum ostendam clarissimè. Qui hæc verba ad Isaiam loquutus est: Vade & dices populo &c. est Deus. Sic enim habet Isaias: Audiui vocem Dei dicentis &c. Atqui Spiritus Sanctus hæc verba ad Isaiam loquutus est: Vade & dices &c. Ergo Spiritus sanctus est Deus. Quòd autem hæc verba Spiritus Sanctus ad Isaiam sit locutus, S. Paulum eius rei testem habemus. In actis enim Apostolicis, à D. Luca ita scriptum legimus: Cùmque inuicem non essent consentientes discrepabant, dicente Paulo vnum verbum: Quia benè Spiritus sanctus loquutus est per Isaiam Prophetam ad patres nostros dicens: Vade ad populum istum, & dic: Aure audietis & non intelligetis, & videntes videbitis & nõ perspicietis. *Hoc quid potest esse clarius? Sed tamen mirum non est, ijs rem tam perspicuam claram non esse, quibus ob multa scelera in Deum & eius Ecclesiam sanctam nefariè cõmissa, Deus lumen subtraxit suum.*

VIII. TESTI-

VIII. TESTIMONIVM ex Cap: I. Epistolę primę D. Pauli ad Corinthios.

SPiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quę sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quę Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei. *Hoc testimonium Pauli, quemadmodum & in alijs feci, in forma Syllogismi proponam:*

Nulla creatura scit omnia profunda Dei.
At Spiritus sanctus scit omnia profunda Dei.
Ergo Spiritus sanctus, non est creatura.

Duabus prioribus propositionibus concessis, conclusio negari à nullo sanæ mentis potest. Maior autem & minor propositio negari non potest, nisi simul Isaiæ Prophetæ & Pauli Apostoli testimonium verum esse negetur. Atq; vt meliùs intelligatur, & maiorem et minorem propositionem ex tàm illustrium testium libris depromptam esse, ac potius esse ipsorum testimonium; vtriusq; sententias diligentiùs expendamus. Quid igitur Paulus per profunda Dei intelligit? illud ipsum, quod ante dixerat ex Cap: 64. Isaiæ Prophetæ: Sicut, inquit, scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis

minis ascendit, quę præparauit DEus ijs, qui diligunt illum. Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum. *Cur nobis reuelauit DEus illud, per Spiritum S. quod oculus nõ vidit? Respondet Paulus: Quia, inquit, Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei. Quasi diceret per Spiritum S. nobis reuelauit illud, quod oculus non vidit, quia ille scit ea, quæ oculus non uidit. Ergo per profunda Dei nihil aliud intelligit, quàm illud :* Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, &c. *Quod autem eo loci idem sit Paulo dicere: Scrutatur profunda Dei, & scit profunda Dei, ex eo, quod idem D. Paulus subiunxit, intelligitur. Ut enim planum perspectumq; faceret eum scrutari omnia profunda Dei, subiunxit hanc rationem :* Quis enim hominum scit quę sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quę Dei sunt nemo cognouit nisi Spiritus Dei. *Ex quo clarè perspicitur idem esse D. Paulo ; Scrutari omnia profunda Dei, & scire omnia profunda Dei. Ex his igitur manifestum est, primò profunda Dei Paulum intelligere illud ipsum, quod ex Cap:* 64. *Isaiæ protulerat: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit &c. Deinde patet minorem nostri syllogismi propositionem et sensu et verbis esse D. Paulí testimonium : Spiritus enim omnia scit etiam profunda Dei. Quid? an non est hæc nostri syllogismi mi-*

 nor pro-

nor propositio; Spiritus sanctus omnia scit profunda Dei.

Maior autem propositio, quæ idem est cum hac: Nulla creatura scit illud, quod oculus non vidit nec auris audiuit &c. quæ præparauit Deus diligentibus se, vt intelligas quàm benè cum Isaiæ testimonio consentiat, audi ipsumet Isaiam in Cap: 64. suæ Prophetiæ: Oculus, inquit, non vidit Deus absq. te, quę præparasti expectantibus te. *Si igitur præter Deum nemo vidit quæ præparauit expectantibus se, & cùm nulla creatura sit Deus; nulla igitur creatura vidit, & cognouit ea, quæ præparauit expectantibus se. Vt igitur minor propositio est Pauli Apostoli; ita maior est Isaiæ Prophetæ testimonium. Quod verò, absq. te, idem sit quòd præter te, ex illis Pauli verbis optimè intelligi potest: Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis nisi spiritus, hominis qui in ipso est: ita quæ sunt Dei nemo cognouit nisi Spiritus Dei. Quod Isaias dicit: Oculus non vidit absq. te Deus; hoc dicit Paulus: Nemo cognouit nisi Spiritus Dei. Nemo cognouit nisi Spiritus Dei, an non idem est: Nemo cognouit præter Spiritum Dei? Ergo absq. te & præter te hoc loco idem sunt apud Isaiam. Cùm igitur maior propositio sit Isaiæ; minor verò D. Pauli; an non perspicuum est, ad eos qui in tam clara luce Spiritum sanctum Deum esse*

non

non agnoſcunt eundem Spiritum ſanctum per Iſaiam eſſe loquutum : Vade ad populum iſtum & dic : Aure audietis & non intelligetis, & videntes videbitis & non perſpicietis. *Cauſam huius rei ſubiungit Paulus :* Incraſſatum enim eſt cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt, ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur & ſanem eos.

LAVS DEO TRINO ET VNO.

Errata ſic corriges :

Pag. 9. ver. 23. lege, cum altero. Pag. 10. ver. 2. lege, impertitur. Pag. 33. ver. lege, Pater cum Filio. Pag. 32. ver. 4. lege, ſint. Pag. 54. ver. 23. lege, moueat & cogat. Pag. 65. ver. 11. lege, poſsit. Pag. 3. ver. 1. municant lege, pertiuntur. Eadem pag. ver. 10. lege, cum aliјs.

M. BASILII GOLINENSIS PVblici in Academia Crac: Philosophię Professoris

AD AVTOREM.

Hoc Ariadna suo fuerat pulcherrima Theseo,
Ardua quod præstat, Petre, sophia tibi.
Illa viro Labyrinthæos per fila recursus;
Diuorum hæc tibi dat cernere consilium.

Eiusdem ad Lectorem.

Numinis in tanti vastos, per aperta, recessus
Perq; Fidem solam tendere nolueras.
Difficilem nunc carpe viam: & tua vota sequutus
Curre salebrosum per rationis iter.
Si grauat incultum pectus: compesce labellum,
Et peruulgatam disce tenere viam.

Eiusdem ad quosdam.

Ingenij dudum captatam perdere famam,
Prodendæq; suæ qui timet inscitiæ.
Vel prius hæc laudet sensum quam discat: & ista
Arte potest doctus credier omnis homo.